



✓

343

DE PAULINI PETROCORII
VITA ET SCRIPTIS

6013





116 546

15

147
3

(1)

DE

PAULINI PETROCORII VITA ET SCRIPTIS

*Quid ad litteras praesertim christianas contulerit
Legenda Sancti Martini*

THESIM

TOLOSANAEC LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT

J. M. DREVON

IN AGINENSI LYCEO STUDIIS PRAEFECTUS



AGENI
EX TYPIS VIRGILII LENTHERIC
In via dicta de Cessac

MDCCCLXXXIX





DE PAULINI PETROCORII VITA ET SCRIPTIS

PROOEMIUM

Quando in lucem primum editum est poema Paulini Petrocorii de **Vita Beati Martini**.

Eiusdem carminis codices et variae editiones.

CAPUT PRIMUM

§ I. — Quinam praecipui fuerint ante Paulinum Petrocorium christiani poetae.

§ II. — Paulini Petrocorii vita describitur.

CAPUT SECUNDUM

DE LEGENDA S. MARTINI

§ I. — Qua animi dispositione vitam Beati Martini descriperit Sulpitius Severus.

§ II. — Conferuntur Sulpitii Severi et Paulini Petrocorii de Martino opera.

CAPUT TERTIUM

§ I. — Quinam post Sulpitium Severum oratione de Martino scripserint.

§ II. — Quinam post Paulinum Petrocorium vitam S. Martini versibus describendam sint agressi.

§ III. — Quid ad cantus sive sacros sive profanos contulerit Legenda S. Martini.

CAPUT QUARTUM

§ I. — Quomodo Sulpitium Severum imitatus sit Paulinus Petrocorius; quid ab illo detraxerit, quid addiderit.

§ II. — Quid in excudendis versibus valeat Paulinus Petrocorius.

APPENDIX

Poema Guiberti Gemblacensis de Laudibus B. Martini.

Duo hymni de Martino, cum variantibus ex cod. Paris. excerptis.



PROOEMIUM

§ I. — Quando in lucem primum editum est poema
Paulini Petrocorii de Vita beati Martini.

§ II. — Ejusdem carminis codices et variae editiones.





PROOEMIUM

§ I. — Quando in lucem primum editum est poema
Paulini Petrocorii de Vita beati Martini.

§ II. — Ejusdem carminis codices et variae editiones.

§ I. — Anno millesimo quingentesimo octogesimo
quinto, Julio mense, Franciscus Juretus¹ Petro
Pithoeo² codicem remittebat quem hic, paucis ante
mensibus³, ea mente docto viro miserat ut deprava-

¹ Fr. Juretus (1553-1616), Lingonensis ecclesiae canonicus,
eruditissimus vir, multos edidit cum notis commentariisque
sive profanos sive ecclesiasticos scriptores. Vid. Hoefer :
Nouvelle Biographie générale.

² P. Pithoeus (1539-1596) juris civilis peritissimus vir, nec
non in investigandis veterum scriptorum membranis acerri-
mus indagator, ut eum dixerit Juretus (*in notis ad Tertuliani
carmen*) « *saluti prisorum auctorum natum esse* ». Vid.
Hoefer : *Nouvelle Biographie générale*.

³ Ut ex ipsius Jureti verbis conjicitur « *libros... quos ad me
nuper misisti* ».

tum corrigeret; neque, ut videtur, ex supervacuo¹. Tot enim mendis erroribusque corruptus erat, ut inter legendum non potuerit se continere Jurelus quin saepissime librarii manibus poenam imprecaretur, quae falsi crimen admisissent.

Codicem tamen non modo felicissime correxit, sed eum etiam doctis auxit explanationibus, quarum contextio non minus viginti et octo paginarum in 4*i* voluminis complet², ut quem « *nudum et hispidum acceperat hospitem, eum cum cultu et nitore mox remitteret* ³ ».

En ejus codicis titulus ex secunda *Bibliothecae Patrum* editione, in qua primum, ut videtur, anno 1589, vulgatus est : **B. Paulini, Aquitani viri illustris et senatorii, demum episcopi Nolani, de vita S Martini, episcopi Turonensis, libri sex; ejusdem de Nepotulo suo versus ad Perpetuum, episcopum Turenensem.**

Inerat autem in hoc titulo gravis et crassus error, qui, nescio qua animi levitate, solitam Jureti fefellerat sagacitatem. Ceterum, observandum est, cum excusatione illius doctissimi viri, Gregorium Turonensem et

¹ « *Quid enim? vix unus versus exstigit quin eversus; vix sensus ullus quin nullus, ut quot litterae tot liturae potius viderentur...* »

Sic Jurelus in epistola ad Pithoeum.

² *Bibliotheca Patrum*, a Margarino de la Bigne, in editione an. 1589.

³ Vid. epistola ad Pithoeum.

Fortunatum, Pictaviensem episcopum, quorum colligenda testimonia curavit¹, eodem errore olim delusos fuisse. Magis autem mirum est hodiernos quoque scriptores, inter quos Baylius², et F. B. de Savigny³, eadem nominum confusione fuisse deceptos⁴, Paulinique nostri nonnullos versus sive Nolano sive Pellaeo sive alii ex Paulinis adscriptissime. Nolanum vero episcopum excudere poema non potuisse, quod triginta annis post ejus decessum scriptum fuerat, praecise demonstravit in Annalibus suis Baronius⁵, qui tamen, deficientibus indiciis, verum auctorem resignare non potuit.

¹ *Bibl. Patr.* in praefatione ad notas.

² *Dictionnaire hist.*, ad art. Sévère, not. A.

³ *Histoire du droit romain au moyen âge.*

⁴ « Paulin en fit un poème héroïque divisé en vi livres où il n'a fait presque autre chose que de traduire Sulpice Sévère... c'est ce qui devait empêcher de prendre cet auteur pour St Paulin de Nole, comme a fait presque toute la postérité après St Grégoire de Tours et Fortunat de Poitiers même qui s'y sont laissés tromper, quoiqu'ils ne fussent que de cent ans postérieurs à cet auteur... ». « *Les vies des saints composées sur ce qui nous est resté de plus authentique et de plus assuré dans leur histoire....* » T. VII. p. 455. Paris, Hérisson, 1739.

⁵ T. V. p. 28 et VI. p. 128. Huic gravissimo argumento alterum addit non parvi momenti, ipsiusmet scilicet Paulini nostri testimonium, qui, quasi praesensisset hanc nominum confusionem, expressis curavit verbis, ut se ab inclito Nolano episcopo plane discerneret. Vid. lib. II. 683 et seqq.

At quum, praeter Nolanum, plures alii fuissent quinto saeculo parum noti Paulini, quemnam ex illis potissimum eligerent ambigebant, donec P. Sirmondus, duobus recensitis novis codicibus, in quibus auctor poematis *Petricordius* vel *Petrocorius* nuncupabatur, hunc a ceteris plane segregasset¹. Ipse vero Juretus, decem jam ante annis, errorem suum agnoverat. « Sed de Paulino isto, inquit², *(non quidem Nolano episcopo, ut olim existimavi, sequutus fidem Gregorii Turonensis)* alias, Deo juvante, in secunda editione... »

Quo autem anno, quave in urbe primum in lucem editus fuerit codex ille omnino incertum est. Ego quidem persuassimum habeo illum nusquam alibi nisi in *Bibliotheca Patrum*, anno 1589, editum fuisse. Num vero credendum est, ut aiunt nonnulli, quatuor longos annos expectasse Juretum dum incognitum ederet opus, quum nihil antiquius habere deberet quam ut illud doctis ejus aetatis patefaceret viris, quos studium tam vehemens exagitabat ad indagandas veterum scriptorum membranas? Accedit quod, quum Juretus de « *secunda* », hoc est, de subsequenti loquitur editione, priorem quamdam fuisse praeponere videtur.

¹ In notis ejus editionis operum Sidonii (an° 1614). Sic ipse: « Quem quum vetera exemplaria Vaticanum et Corbeiense Paulinum Petricordium, Petricorium fortasse, hoc est Vesunicum liceat suspicari... »

² In notis epistolarum Symmachi, p. 323. Parisiis 1603.

Hoc argumento freti, omnes fere ejusdem aetatis scriptores, atque postea omnes qui nostro tempore vitas virorum descripsere asseruerunt Juretum hoc ipso anno 1585 primam et peculiarem dedisse operum Paulini Petrocorii editionem. Daumius enim nonnullos commemorat¹ scriptores qui contenderunt codicem Pithoei, non Parisiis, ut aiunt Benedictini², sed Divione, primum editum fuisse. Absit equidem ut Benedictinorum auctoritatem, doctissimorum gravissimorumque virorum, temere detrectem. Liceat tamen dubitare num unquam exstiterit editio illa omnium antiquissima. Horum quidem opinioni assentire videtur Juretus; sed, quod ex ejus verbis deponitur argumentum, speciosius quam probabilius est. Nonne enim verisimile est Juretum, quum secundam editionem operum Paulini daturum se polliceretur, recentiori allusisse *Bibliothecae Patrum* editioni? Dicat forsitan aliquis hanc non secundam, sed tertiam ejusdem seriei esse. Fateor equidem, sed Jureto, qui, ut suspicor, id unum in animo habebat, opera Paulini iterum typis mandare, hanc non tertiam, sed secundam videri necesse erat, quum prima, quae anno 1575 inscribitur, id est, decem annis ante patefactum codicem, ea continere non potuisset. Nonne etiam mecum existimas hoc breve sex mensium spatium, quod a Julio mense ad finem ejusdem anni 1585 intercedit, (quo quidem in spatio necesse est

¹ In praefatione « *Syllabi poetarum christianorum veterum* ».

² *Histoire littéraire de la France*, t. II, p. 452.

hanc principem editionem reponas) magis angustum fuisse quam ut absolveretur opus tantum, ut, scilicet, plus quam quatuor millia versuum longaeque annotationes typis mandarentur? Centum enim post annis, quum ars typographica multum jam profecisset, pluresque et magis periti essent opifices, biennium consumpsit Carpzovius, qui Daumiensi editioni praeerat, ut eadem haec Paulini opera ederet, quibus modo adjecerat carmen de Jona et Ninive, et Eucharisticum Paulini Pellaei, scilicet, ut opus ex tertia vix parte majus excuderet! Adde quod Carpzovius ipse, sua manu, et incredibili ardore, nullo quietis fere interjecto tempore, in edendo hoc opere desudavit atque elaboravit¹.

Ipsa igitur tanti laboris experientia temporisque reputacione satis probatur hanc principem editionem, si unquam extiterit, non ad annum 1585 referendam esse.

Ceterum nullum invenias ejusdem temporis scriptorem qui ad hanc praesuppositam editionem remittat lectorum, nullum qui asserat se eam aut percensuisse aut saltem vidisse. Itaque Carpzovii opinioni libenter assentio, qui, post longas et intentissimas disquisitiones eo adductus est ut hanc nusquam alibi nisi in *Bibliotheca Patrum* extitisse crederet².

* ¹ Adde etiam quod sub finem ejusdem anni 1585 Juretus edidit « *Yvonis Carnotensis epistolas, et ejus Chronicon de regibus Francorum...* ».

² « Exemplaria autem Paulini conferri non potuisse nec variantes lectiones excerpti, ut lacunae et depravata Jure-

§ II. — Manuscriptos autem codices plures olim fuisse certum est. Daumijs enim, quum valde doleat quod Juretus secundam, quam promiserat, editionem non dederit, nonnulla tamen Paulini exemplaria in Palatina et Vaticana et Lutetiana bibliotheca extare breviter indicat¹. At, quum jam annis et laboribus confectus esset², ea explorare non potuit. Quem autem exitum postea habuerint exemplaria illa minime compertum est³.

Paucis vero ante annis, Ph. Labbeus qui Pellaei et Petrocorii opera ex apographo et recensione P. Sirmundi peculiariter edere meditatus erat, codicem quemdam commemorat, in bibliotheca Sancti Germani a Pratis sub n. 481 degentem, in quo poeta noster Paulinus Petricoriae dicitur⁴.

tianae editionis, quam nec ego alibi nisi in Patrum sub bibliothecae nomine facta recensione extare arbitror, loca restituerentur, dolet admodum Daumijs, etc....» *Epist. F. B. Carpzov. ad Nic Heins. 12 Kal. Apr. 1681.*

¹ In praefatione sui « *Syllabi poetarum christianorum* ».

² « Nam heri annum aetatis implevit septuagesimum. » *Epist Carpzov. sup. cit.*

³ Eadem haec, ut opinor, recensuit Petschenig, qui novissime Paulinum nostrum edidit, ut infra dicetur.

⁴ « *Nova bibliotheca mss. librorum, sive speciem antiquarum lectionum Latinarum et Graecarum in iv partes tributarum, cum coronide duplice, poetica et libraria....* » Parisiis, 1653, in 4°. Sic ipse in « *Coronide poetica* » : V. C. Paulini junioris Burdigalensis Eucharisticon versibus elegiacis et Pau-

Haenelius¹ alterum affirmat extare codicem in urbe Britannorum Mediomontana (Middlehill), in splendida et confertissima bibliotheca Thomae Phillipps, illiusque sic meminit :

2532. *Paulini Petricordiae de vita sancti Martini.*
(nº 729, ex bibliotheca Meerman).

Alius etiam invenitur in Bibliotheca Mediolanensi codex Paulini membranaceus (c. 74), cui titulus : *Paulini poema de S^{lo} Martino*².

In Gallia autem tres extant, quorum recensio facta est.

1^o *Parisinus* bibl. nat., signatus nº 13759, saec. X, forma maxima, fol. 154. Continet : 1^o *Sulpitii Severi Vitam B. Martini, ejusdemque dialogos;* 2^o *Vitam S. Bricchii* (seu, ut modo dicunt, Bricci, episcopi Turonensis, seu *Petrocorii*) ; 3^o *Opus meticum Paulini Petricordiae de vita S. Martini*³, (altera manu additur : *opus istud in editis tribuitur S. Paulino, sed perperam*) ; 4^o *Litanias defunctorum, minutis litteris exaratas.*

lini alterius Petracorii (in ms. codice S^u Germani de Pratis, num. 481, dicitur Paulinus Petricoriae) libri sex de vita sancti Martini aliaque carmina olim tributa sancto Paulino Nolanae urbis antistiti, etc.

¹ *Catalogi libr. manuscr.* Lipsiae, 1830, p. 885.

² Montfaucon : *Biblioth. manuscr.*, p. 505.

Migne : *Dict^{re} des manuscrits*, p. 872.

³ Fol. 127-153. Duos tantum primos libros continet, hisque verbis desinit ; *Finit in Christo liber secundus habens versus DCCXXII feliciter. Amen.*

Qui codex membranaceus degebat olim in bibl. S. Germ. a Pratis et S. Petr. Corbeiensis. Legitur enim in prima pagina : *Liber S. Petri Corbeiensis*, et paulo infra, *S. Germani a Pratis*, n. 652. Hunc recensuit Corpetius ¹.

2º *Parisinus alter*, n° 241, quem recensuit Petschenig, de quo infra dicetur.

Le Brun des Marettes qui poetam nostrum *Paulinum Petricordias* nuncupat, in sua peculiari operum Paulini Nolani editione ² codicem quemdam Paulini Petrocorii in bibliotheca S. Germani a Pratis extare affirmat, quem octingentis ad minus ante annis scriptum fuisse dicit. Idem est, ut suspicor, ac codex ille quem supra depinximus, n. 13759.

3º *Alter extat in bibliotheca Montispessulanae urbis*, apud Facultatem medicinalem. Qui codex membranaceus et ad decimum quoque saeculum referendus, ex bibliotheca Buheriana provenit, sexque continet libros poematis de Vita S. Martini, epistolam Paulini ad Perpetuum, partemque pusilli carminis de Visitatione Nepotuli. Sic olim inscribebatur : *Paulini Petricordiae, episcopi Nolani, de S. Martino libri vi metrici, sed Paulino falso adscripti. Antiquae notae codex. Codex ms. bibliothecae Buherianae, E. 15. MDCCXXI.*

Miram in hoc titulo nominum confusionem animadvertere est. Petrocorium nempe *Paulinum* scriba Nolanum episcopum fuisse dicit, statimque adjicit sex

¹ Tempore Corpetii (an. 1849) signabatur codex ille n. 1406.

² T. II. p. 129.

poematis libros falso olim Paulino fuisse adscriptos, sed quemnam Paulinum, Nolanumne an alium, subau- diat, non indicat.

Hodie vero codex ille litt. H et num. 352 signatur.

Opera autem Paulini Petrocorii in diversis *Biblio- thecae Patrum* editionibus vulgata sunt.

Editio anni 1589¹, quae Juretianam recensionem continet, praeterquam quod de poematis auctore gra- viter errabat, multis etiam typographiae mendis, prae- termissionibusque et rimis deformabatur. Nec aliter fieri poterat, quantacumque erat commentatoris doc- trina, quum unum sub oculis codicem haberet, ab ignaro scriba ita foede corruptum, ut ad sanandos tot et tam graves morbos felicium medicorum multitudine opus fuisset, qui, si homines, ut per jocum ait Juretus, certe libros nunquam perdent².

Hac tamen prima editione, quaecumque est, plerae- que subsequentes fultae sunt. Breviter dicam quibus unaquaeque aut virtutibus probetur aut vitiis displiceat.

Parisiensis anni 1610³ et *Coloniensis* anni 1618⁴

¹ *Bibliotheca veterum Patrum et antiquorum scriptorum*, a Margarino de la Bigne. — Parisiis, apud Sonnum, an 1589, ix tom.

² Epist. ad Pithoeum.

³ *Bibliotheca*, etc., cum auctario, apud Sonnum, an. 1610.

⁴ *Bibliotheca magna*, etc., nunc vero plus quam centum auctoribus locupleta in xiv tomos distributa, opera et studio doctiss. theol. Universitatis. Coloniae Agrippinae, apud Hie- ratum, 1618 et 1622.

ad exemplar Juretianaæ editionis respondent eademque retinent menda.

*Parisiensis altera anni 1624*¹ multo emendatior et locupletior est. Integros enim nonnullos versus, multisque correctiones continet, quibus carent priores. Suspicor typographos alterum habuisse sub oculis Paulini Petrocorii codicem.

*Lugdunensis anni 1677*², apud Anissonios exarata, Juretianam quoque refert editionem. Nonnullas tamen emendationes habet quas ex Barthii commentariis excerptas fuisse suspicor. Fieri enim potuit ut Dau-mius qui Barthii observationes in seriniis diu retinuit, quaerens qui ederet, eas Jacobo Sonio ant alii alicui ex iis qui Anissoniorum editionem emendant, quibusque cum omnibus Europæ doctis viris reciprocae essent litterae, legendas miserit³.

Observandum est omnes illas *Bibliothecae Patrum* editiones nomen Paulini Nolani in titulo poematis adhuc retinere. Adjectis vero notis emendatur error; sic, in *Lugdunensi*, haec infra titulum leguntur : *sex isti libri, non sunt Paulini Nolani, sed Paulini Petrocor-dii qui 30 circiter annis vixit ab obitu Nolani, opus-que suum dicavit Perpetuo, episcopo Turonensi;* et paulo infra, ex Cardinali Bellarmino : « *Libri sex de*

¹ A societate dicta « *du Grand Navire* » 10 t. in fol. Sic eam Corpetius in notis indicat : *Editio Paris.* 4^a.

² *Bibliotheca maxima*, etc. Lugduni, apud Anissonios, an. 1677.

³ Ita sentit Pericaud, *Lugdunensis olim bibliothecarius*.

vita S. Martini non possunt esse S. Paulini Nolani; author enim eorum librorum meminit Paulini Nolani, et se ejusdem esse nominis testatur et sextum librum scribit ad Perpetuum, Turonensem episcopum, qui sedit sub annum 470 ».

Daumius tandem, anno 1681, in peculiari sua operum Paulini editione¹ ab illa prava consuetudine discedere, Petrocoriique Paulini nomen inscribere haud dubitavit. Cujus editionis originem ipse in praefatione narravit, dicens duodequadraginta annos praeterisse, ex quo precanti sibi Caspar Barthius Jureti textum et annotationes, quae Barthius sua manu descriptsisset, cum ipsius Barthii animadversionibus in libros I et II misisset; tum post sex annos iterum iterumque petentem se ejusdem animadversiones ad reliquos libros et ad minora carmina accepisse diligenterque descripsisse; quae omnia, quum per longum tempus in scrieniis ejus latuissent, tandem aliquando contigisse ut qui ea imprimeret inveniretur. Revera autem ista

¹ En ejus editionis titulum : *Benedicti Paulini Petrocorii de Vita B. Martini libri sex, cum notis Fr. Jureti, I C.; ejusdem ad Nepotulum ab eodem recensitum carmen, itemque epigramma bassilicae Martini apud Turones inscriptum; Tertuliani carmen de Jona et Ninive pariter a Jureto editum et illustratum; Paullini, Ausonii nepotis, Eucharisticum. Caspar Barthius omnia recensuit et animadversionibus illustravit. Accesserunt et notae in Paullinum Petrocorium Joannis Frederici Gronovii, et indices auctorum rerumque, cura et studio Christiani Daumii. — Lipsiae, apud Johannem Furchmannum et Mathaeum Ritterum. Typis Christophori Gutheri, anno M DC LXXXI.*

recensio tota Barthii est, cum Daumius tantum munere editoris functus sit, nisi quod indices a se confectos addidit. Barthii quidem animadversionibus Joh. Fred. Gronovii annotationes in Paulinos adnexuit Daumius, atque ita haud contemnendum opus perfecit. Doleendum tamen est quod Parisiana*m* editionem an. 1614 neglexerit consulendam, ex qua multas variantes et emendationes colligere potuisset.

Centum fere post annis, Pascalius Amato, in sua magna « *omnium poematum, carminum, fragmentorumque latinorum* » collectione, opera Paulini nostri rursus edidit. Quae quidem editio, quae Parisianam an. 1624 secuta est, multisque criticorum observationibus et Amatonis ipsius conjecturis conflatur, ad hoc tempus optima videbatur, quanquam multis in locis etiam imperfecta.

Nostra aetate, Corpetius, collatis omnibus Jureti, Barthii, Gronoviique et Amatonis annotationibus, duabusque ex Parisiana et Buheriana bibliotheca, quos supra descriptimus, recensisitis codicibus, Paulini Petrcorii opera rursus edidit², gallicoque sermone primum transtulit³. Variantes tum codicum, tum *Bibliothecae Patrum*, Daumiensisque et Pisaurensis editionum lectiones magna cura excerptis et consignavit.

Nec multo post Paulinum rursus edendum in magna

¹ Pisauri, an. 1766, t. vi, p. 6 et seqq.

² Parisiis, apud Panckouckium, an. 1849.

³ Cui translationi brevem praeposuit notitiam ex qua multa utilissimaque nos exhausisse indicia libenter fatemur.

sua collectione curavit Mignius¹. Nil aliud vero nisi Juretianam, a Daumio emendatam, editionem retulit. Itaque nonnisi summa suspicione apud illum legendus est poeta noster.

Hoc ipso denique anno, quum jam maximam ejus laboris partem confecerant, poetam nostrum Vindobonae ultimum edidit doctor Petschenig². Qui quidem, Daumii observatione, quam supra retulimus, forsitan inductus, Vaticanam exploravit bibliothecam, ibique tres novos codices recensere potuit. Eadem autem contigit ut duos quoque alias explorandos in manibus habuerit.

Quos omnes paucis describere verbis necesse mihi visum est, ut absolveretur librorum manu scriptorum adhuc extantium index, quem paulo supra jam inchoavi.

1º **Vaticanus**, *bibl. regiae Sueciae*, signatus n. 582, saec IX-X, forma minore, fol. 66, Paulini opuscula continet ab una manu scripta. Sequuntur poemata duo, et excerpta de Gregorii Turonensis historia Francorum ad S. Martini basilicam pertinentia³, versusque Victorini. Versuum autem litterae initiales ductibus majusculis exaratae sunt, singulaeque paginae vicenos

¹ *Patrologie*, t. LXI.

² *Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum*, editum consilio et impensis Academiae litterarum Caesareae Vindobonensis. Vol. XVI. *Poetae Christiani minores*. Vindobonae. E. Tempsky, 1888.

³ *Greg. Tur. Hist. Franc.*, 11.14.

quaternos versus continere solent. A Petschenig vocatur **R**, quod *Reginensis* significat.

2º **Vaticanus**, *Bibl. Palatinae*, n. 845, saec. ix-x, forma maxima, Sulpitii Severi scripta quae ad S. Martinum pertinent, Fortunatique carmen de vita ejusdem, ac denique (fol. 74-143) Paulini Petrocorii opuscula continet integra, praeter prologum quem solus servavit **R**. Indicatur litt. **P**.

3º **Vaticanus**, *Bibl. antiquae*, n. 1664, saec. ix-x, forma majore, carmen de vita S. Martini mutilum et versus de Orantibus continet. Desunt in hoc codice versus II 166-632, III 227-388, IV 489-574, V 60-379, 621-701, 782, VI 63. Indicatur litt. **V**.

4º **Sangallensis**, 573, saec. ix-x, fol. 4-83 Paulinum exhibit; sequitur Fortunati carmen de vita S. Martini. Indicatur litt. **S**.

5º **Parisinus**, *Bibl. Nat.* ¹, n. 241, saec. IX aut potius X, fol. 203-221 continet Paulini libros I-III 257 ². Indicatur litt. **A**.

Breviter nunc explorandum est quae unicuique ex istis codicibus auctoritas tribuenda sit, quaeve inter eos similitudo aut diversitas intercedat.

¹ *Nouvelles acquisitions latines* (Ex collect. Firmin Didot, 1868).

² Non autem 259, ut asserit Petschenig. Hoc enim versu desinit

Et stirpem exosam prima ab radice recidens...
qui in omnibus codicibus, praeter Reginensem, 275 num-

Luce clarius appareat, ait Peschenig, duas esse librorum familias e duobus exemplaribus prorsus diversis profectas¹.

Ad alteram solus pertinet **R**, omnium praestantissimus, qui solus servavit prologum et versus i. 71, ii 29—32, 269, 497—499, iii 250—251, vi 149.

Ad alteram reliqui omnes. Codd. **PSV** sua quidem stirpe optimi, sed tamen **R** plerumque inferiores sunt. Codd. **PV** ex eodem fonte fluxisse lectiones plurimae, quas communes habent, testantur. **S** vero multis in locis mutilus est et lacunis uberior quam ceteri ejusdem familiae. At, quum ab homine satis ingenioso passim correctus sit, haud exigui est momenti, siquidem solus multis in locis veram servaverit scripturam. « Quod quidem non archetypi bonitate mihi factum videtur, ait Petschenig², sed opera ejus, qui, cum

ratur. Qui codex (fol. I.—302) continet Prudentii opera. In fol. autem 221—223 multa inveniuntur brevia carmina, qualia :

Hymnus ante cibum.

—	ante somnum.
—	ad matutinum.
Passio	St ⁱ Cypriani.
—	St ⁱ Laurentii.
—	St ⁱ Vincentii.
—	St ⁱ Cassiani.
—	St ⁱ Quirini.
—	Sac Agnae
—	Sac Eulaliae, etc.

¹ In Praef. p. 8.

² Ibid, p. 11.



illum ex exemplari lacunoso variisque modis vitiato describeret, simul emendandi munus sibi suscipiendum esse arbitratus est ». Cod. **A** nullius fere pretii, quippe qui apographon Vaticani habeatur necesse sit, siquidem easdem lacunas, easdemque lectiones exhibeat.

Codex **Ambrosianus**, quem in bibliotheca Mediolanensi extare supra dixi (Cod. C. 74. Saec. X), duos tantum primos libros et 291 versus libri tertii exhibet. Eum artissime conspirare quoque cum **V** ex paucis quas Reifferscheidius exscripsit lectionibus⁴ asserit Petschenig.

Codex **Britannicus**, quem nonnisi ex Haenelii notissimo libro in Mediomontana bibliotheca extare comperimus, a nullo quoquam ad nostram aetatem docto viro est recensitus. Eum tamen inter vetustos annumerandum non esse inde colligit Petschenig quod Zangemeister ejus non fecit mentionem.

Codices autem, quos recensuit Corpetius, **Buherianus** scilicet et **Parinus alter**, n° 43759, seu **Sangermanensis**, anctoritate et pretio valde diversi sunt.

Sangermanensis quidem haud magni momenti est, quum duos tantum primos libros contineat; ex illo tamen nonnullas lectiones hausit Corpetius.

Buherianus vero, ceteris omnibus, excepto **R**, praestare mihi videtur. Ex illo multas, optimas quidem, excerptis lectiones Corpetius, ut ejus editio haud multo

⁴ Cf. *Bibl. patr. latin. Ital.* II. page 69.

mibi Vindobonensi inferior videatur, si prologum duodecimque versus, qui desunt in illa, adjeceris. Quin et Corpetianam nonnullis in locis potius quam Vindobonensem legendam contendere ausim. Discrepantiarum enim haud ita multarum quas in utraque editione invenias, alias quidem sive ex codd. Sangerm. et Buher., sive ex edd. Paris. 4 et Pisaur. indicavit in notis Corpetius, alias vero proprio motu reposuit. Petschenig vero neque Pisaurensim, quam ignorasse videtur, neque varias Bibl. Patr. editiones, Juretiana a Daumio repetita excepta, neque Corpetianam ipsam recensuit, nescio qua causa. Fieri enim non potuit ut « *hujus editionis exemplar conquirere non contigerit* »¹, quum cuique volenti tam facile praesto sit. Absit ut ejus laudem minuere velim; attamen, ut opinor, non arrogantius dixisset se « *Paulinum exhibuisse innumeris et foedissimis mendis purgatum* »², si Corpetianam legisset aut potius legere voluisse. Haud multum enim abest quin illa perfecta sit. Quod tibi vel obiter attendenti mox liquebit si mecum in sequenti tabula utramque contuleris editionem variantesque excerptis lectiones, quarum plerasque, ut jam dixi, aut in notis signavit Corpetius, aut ex proprio hausit fonte.

¹ « Nam quantum Corpetius, qui Paulinum, ut supra jam dictum est, novissime edidit, in eo emendando consecutus sit, equidem ignoro, cum *hujus editionis exemplar conquirere non contigerit* ». In *praef.*, p. 14.

² In *praef.*, p. 14.

Ceteras vero parvi momenti esse primo adspectu patebit¹.

De vita Sancti Martini episcopi libri VI
(Editio Vindobonensis)

PROLOGUS

*Domino sancto ac beatissimo, speciali apud Deum
patrono et cum omni cultu et admiratione venerabili
vereque apostolico in omni religione doctori Perpe-
tuo episcopo Paulinus.*

« Studio caritatis et dilectionis affectu obliviisci nos
» pudoris jubetis, cum modestiam et verecundiam
» suadeatis, ne gravetur praevaricatione judicium.
» Falli nos non intelligitis favorabilius sentiendo
» quam verius : bonum creditis quod bonum vultis et
» in consortium vestrae devotionis adsciscitis etiam
» quos de desipientibus legeritis. De sancti atque apos-
» tolici doctoris et domini meritis atque virtutibus tam
» splendida in nos misistis historiam, ut rectissime,
» si ita jussisset vestra benedictio, ad totius orbis no-
« titiam perveniret. Verum his me inhaerere vestigiis

¹ Antequam ultra progrediar summae mihi grates agendae sunt D^o Noël, in Lyceo Henrici Magni professori, qui benevolentissimus me in hoc, quodecumque est, opusculo conficiendo adjuvit. Quum enim propter assiduas, quibus distineor, occupationes, pro desiderio Bibliothecam Nationalem explorare non possem, ille se ultiro obtulit, codices descripsit, multaque mihi haud parvi momenti litteris misit indicia.

» et posse aliquid adjicere quasi expolitius censuistis,
» cum multo majus sit conperta promere quam prolata
» transcribere. Adquiescamus tamen oboedientiam
» subdere, non conscientiam incautius aestimare, quia
» puto discerni non debere quid jubeat, cui in omni-
» bus obsequendi vota se subdant. Domine sancte ac
» beatissime vereque perpetue religionis et gratiae pa-
» trone, venerabilis doctrinae speculum, perfectionis
» exemplum : sectare quem diligis, imitare quem se-
» queris, honore successor, humilitate venerator. Uta-
» mur vestri definitione mandati. Usurpate quod nos-
» trum est, qui me, ut scitis, obnoxium hac electione
» perfecistis. Cum in manus vestras charta pervenerit,
» fovete quod sumitis, excusate imperitiam, exorate
» clementiam : ignoscat usurpationi, opituletur pec-
» canti, succurrat errori. Indignum fuit ut gesta tam
» grandia auderemus attingere. Sed adrogantius fue-
» rat mandata coutemnere. Ferat murmura per patien-
» tiam suscepta per gratiam, non irascatur audaciae
» per gaudia fortiori. Deus noster, quae per ipsum di-
» gnatur operari, vult quolibet nuntiante cognosci.
» Nos patrocinio fovete susceptum, quem per illos
» thesauros caritatis adsumpsisti incognitum ».



EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. I.

- 4 ... Et fragili *dubitabant* credere sensu...
 12 ... Haud humili generatum stirpe *tribuni*.
 13 Nam genitor clarus meritorum laude; sed iste
 14 Nobilior patribus *tam claris*, qui patre Christo
 15 Sprevit sacrilegos...
 23 *Linquere* terrenas sublimi pectore curas...
 24 Haec vix *bis senis*....
 27 Praecipit Augustus *delectu* ad bella...
 54 *Hic* jam cum paribus quae gratia...
 71 Si tegeter, nudanus erat, nec sic quoque clarum
 72 Suspendit saltim...
 77 crevisse calor...
 85 *Expedit* factum....
 101 Nam vix defessos *stratis* rejecerat artus...
 136 Rumpere calcati jam vana vocabula *mundi*,
Spondentis spectans consortia sancta tribuni...
 177 Ne saltim sanctum *violares* sanguine vultum...
 188 *Vix que locum*...
 189 Inferiora sibi deposcens *moenia*...
 200 Mollis ut ascensus demerso colle *pateret*...
 210 Alter et *aversae* ..
 214 ... Mihi sola via *et dux* Christus...
 221 Ast ille infrendens cunctis conatibus *ivit*...
 261 Et *pelagus* fluctusque petens...
 269 Quidquid inexpertae *praebebant* viscera terrae...
 304 Excita *vel* totum...
 354 Et *sancti* cecinit concors symphonia laudes...
 385 *Ostentant* cunctis Domini miracula Christi...

EDITIO PARISIANA

LIB. I.

- 4 ... Et fragili *dubitarent* credere sensu...¹.
 12 ... Haud humili generatum stirpe; *tribunus*²
 13 Nam genitor, clarus meritorum laude; sed iste
 14 Nobilior patribus, *tam clarus* qui patre Christo
 15 Sprevit sacrilegos....
 23 *Linquens* terrenas sublimi pectore curas...
 24 Haec vix *bissenis*....
 27 Praecipit Augustus *delectu* ad bella...
 54 *Huic* jam cum paribus quae gratia...³.
 — (*deficit iste versus*).
 71 Suspendit saltim... crevisse calore...⁴.
 76
 84 *Expedit et factum*...
 100 Nam vix defessos *strato* rejecerat artus...⁵.
 135 Rumpere calcati jam vana vocabula *mundi*
Spondentis, spectat consortia sancta tribuni...
 176 Ne saltim sanctum *violaret* sanguine vultum...
 187 *Velle locum*...
 188 Inferiora sibi deposcens *munia*...
 199 Mollis ut ascensus demerso colle *facessat*...
 209 Alter et *adversae*...
 213 ... Mihi sola via *est dux* Christus...
 220 Ast ille infrendens cunctis conatibus *ibat*..⁶.
 260 Et *pelagum* fluctusque petens...⁷
 268 Quidquid inexpertae *promebant* viscera terrae...⁸.
 303 Excita *vi* totum...
 353 Et *sanctas* cecinit concors symphonia laudes...
 384 *Ostentans* cunctis Domini miracula Christi...

¹ *Dubitarent*. Cod. Buher. *dubitabant*. (Corpet)

² *Stirpe*: *tribunus*. Sic edd. Daum. et Lugd. *Stirpe* *tribuni*, edd. Paris. 4 et Pisaur. (Corpet)

³ *Hic jam*. Cod. S. Germ. a prima manu *hic tam*,
sed ab altera *hic jam*. Cod. Buher., Juretus et alii
hic jam. (Corpet)

⁴ *Crevisse calore*. Sic Juretus, Barthius et ed. Lugd.
Calori cod. Buher. edd. Paris. 4 et Pisaur. (Corpet)

⁵ *Defessos strato rejecerat*. Sic optime Barthius ex
ingeonio auctoris (cf. lib. v, v. 331, et vi, v. 167).

⁶ *Ibat*. Male in codd. S. Germ. et Buher. *ivit*.
(Corpet)

⁷ *Pelagum*. Cod. Buher. *pelagus*. (Corpet)

⁸ *Promebant*. Ita recte Juretus, consentiente cod.
Buher. *Proemebant* codd. Pith. et S. Germ. (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. II.

- 24 Conjugis infirme tristem miseratus erumnam...
 29 Et singultantes praeciso murmure voces,
 30 Oscula dat genibus, vestigia conligat ulnis,
 31 Excedens verum per tot figmenta dolorem
 32 Quid mirum simplex animus, mens sancta
 [vocantem,
 33 Si sequitur cogente Deo....
 46 Carnea ad adversam...
 51 Praeferret....
 88 Sic humilis sancti pretiosa modestia cordis...
 96 Doctori vicina domus, longinqua vacanti...
 97 Hinc naturalis praecisi margine saxi...
 100 Sepserat inclusam...
 116 de medio sumpsit dilectio censu.
 132 Hora et corde....
 139 quo tabem corporis aegri...
 159 et facti sit praemonstrare gerendum..
 185 sed mens et sidera transit...
 197 adjecto duplicato crescat honore...
 269 Certat dilecto raptiu succurrere ligno
 270 Et prohibere pium...
 286 Nil grave confisus Domino...
 303 Praecessit celeres properantia vota furores...
 314 jam propter ovantes...
 407 Diriguere artus miseris, vox faucibus haesit...
 432 Spes animal meriti, cedit formido pericli...
 436 Augent praecipitis immensa mole furoris...
 443 Celsius insanam dextram suspendit in altum...
 449 Porrecta et cassum suspendit dextera ferrum..
 474 Totaque collecti rauescere vota furoris...
 476 Attamen interdum...
 484 viso gaudens revalescere sancto...
 497 Optatam sanctis precibus praestare medellam.
 498 Quae vox ut maestas venit genitoris ad aures,

EDITIO PARISIANA

LIB. II.

- 24 Conjugis infirme tristem miseretur erumnam...
 (Deficiunt quatuor illi versus.)
 —
 —
 —
 29 Sic sequitur cogente Deo...
 42 Carnea in adversam...
 47 Proferret....
 84 Sic humilis sancto pretiosa modestia cordis...
 92 Doctori vicina domus longinqua vaganti...
 93 Hinc naturalis praeciso margine saxi...
 97 Sepserat ingressam...
 112 de medio sumpsit dilectio censem.
 128 Ore et corde...
 135 quo labem corporis aegri...
 155 et factis it praemonstrare gerendum...
 181 sed mens ad sidera transit...
 193 adjecto duplicatum crescat honore...
 (Deficit versus ille)
 265 It prohibere pio...
 281 Nil grave confisis Domino...
 299 Praecessit celoris properantia vota furoris...¹
 309 nam propter ovantes...
 402 Diriguere artus, miseris vox faucibus haesit...
 427 Spes animat, meriti cedit formido pericli...
 431 Augent praecipites immensa mole furores²...
 438 Celsius insanum dextram³ suspendit in altum..
 444 Porrecta et jussum suspendit dextera ferrum...
 469 Totaque collecti evanescere vota furoris..
 471 Et tamen interdum...
 479 visu gaudens revalescere sancto...⁴
 (Deficiunt duo illi versus).
 —
 —

¹ Celeris. Sic legendum puto.. *Celeres.. furores*, codd. et edd. omnes. (Corpet)

² Sic legendum puto - *Augent* codd. et edd. omnes. (Corpet)

³ Insanum. Ita cod. S. Germ. edd. Paris. 4. Daum. et Lugd. *Insanam* cod. Buher. et ed. Pisaur., quod forte melius.

⁴ Cod. Buher. *viso.* (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. II.

- 499 Advolat exanimis genibusque advolvitur orans...
 523 Ordine praeciso *quaerentem* linquere dextram..
 564 Discernens templi factorem a chrismate Christi...
 588 Sed fidens Domino sanctus *palantia* ridet...
 599 Tum quia *praestructo*...
 607 Ergo ubi tam dubiis *motari incendia* rebus...⁴
 633 *Obstipuere aliis animi*...
 703 Miramur certe tam multa...

EDITIO PARISIANA

LIB. II.

- 492 Optatum... sanctis precibusque advolvitur, orans...¹
 516 Ordine praeciso *quaerentum* linquere dextram...²
 557 Discerneus templi foetorem chrismate Christi...
 581 Sed fidens Domino sanctus *pavitantia* ridet...
 592 Tum quia *perstructo*...³
 600 Ergo ubi tam dubiis *mutari ingentia* rebus...
 626 *Obstipuere animis alii*...⁵
 696 Miramur cito tam multa...

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. III.

- 1 Quo rursus *sterilis calamus* et sibila...
 75 Hos inter medius qua *simma* flectitur orbe...
 88 . . . : . . minor est reverentia regis...
 119 Verum ubi respersit *tenuissima* gutta Lyaei...
 161 Concutiens cornuque ostentans *crimina* caedis...
 189 Extrema efflante *miserum* spiramina vitae...
 204 *Nequicquam*....
 210 Mercurium falsis *nexum* vestigia pinnis...
 249 Quod quamvis vincant cunctas tua *crimina* noxas...

EDITIO PARISIANA

LIB. III.

- 1 Quo rursus *steriles calamos* et sibila...
 75 Hos inter medius qua *sigma* flectitur orbe...
 88 . . . : . . minor et reverentia regis...⁶
 119 Verum ubi respersit *tenui sacra guttura lympha*...
 161 Concutiens cornuque ostentans *crimine* caedis...⁷
 189 Extrema efflante *miserae spiramina* vitae...⁸
 204 Et *quanquam*....
 210 Mercurium falsis *nixum* vestigia pennis⁹...
 249 Quod quamvis vincant cunctas tua *crimina* noxas...

¹ *Optatum*. Ita cod. Buher. Sed cod. S. Germ., edd. Paris. 4, Daum. et Pisaur. *optatam* - Statim pro *precibusque* legebat Juretus *pedibusque*. Hunc versum turpiter corruptum sanare tentavit hoc modo Barthius: *It pater ad sanctum pedibusque* - Sed plura deesse manifestum est. (Corpet)

² *Quaerentum*. Ita cod. S. Germ. *Quaerentem* cod. Buher. et edd. omnes. (Corpet)

³ *Perstructo*. Cod. Buher. *perstricto* - Barthius legebat *praestructo*. (Corpet)

⁴ *Motari incendia*. Sic conjecit Petschenig.

⁵ *Aliis animi* codd. S. Germ. et Buher. (Corpet)

⁶ *Minor et*. Cod. Buher. edd. Paris. 4. et Pisaur. *minor est*. (Corpet)

⁷ *Crimine caedis*. Ita Juretus et edd. Daum. et Lugd. *Crinina caedis* codd. Pith. et Buher. edd. Paris. 4. et Pisaur. (Corpet)

⁸ *Extrema.. miserae*. Ita cod. Buher. *Extremae miserum..* edd. omnes. (Corpet)

⁹ *Nixum*. Ita cod. Buher. *Nexum* edd. (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. III.

- 250 Quo sine nil sceleris quisquam facit, omnibus et
[qui¹]
251 Per... mixtus culpis. merito admiscere poenis
252 Si commissa diu....
287 Nuntius adsidue caelesti a sede referret...
305 Tum vero....
306 Quorsum praedictae...
333 Quo pellant...
341 Et croceo obnubens palantia...
350 . . . atque illam proferre a limine vestem...
355 Qualiter aëriis...
365 Inruis, atque ruis...
380 Credere mendaci specie sub numinis hosti...
393 Sollicite explorans...
408 Sic frustata tui totiens molimina perdens
409 Conciliis....
413 Firmasti, invictus contra omnia crimina, mores..
426 Sed leve jus animi...
439 Qui posset....
456 Cum tenuem efflaret benedicto a pectore vitam..

EDITIO PARISIANA

LIB. III.

- (Deficiunt duo illi versus).
—
250 Si commissa diu...
285 Nuntius adsidue caelesti e sede referret²...
303 Quum vero...
304 Cursum praedictae...³
331 Quae pellant...
339 Et croceo obnubens pallentia...
348 . . . atque illo proferre a limine vestem..
353 Qualiter aereis...
363 Irruis, atque ruens...⁵
378 Credere, mendaci specie sub nominis, hosti...
391 Sollicite explorat..
406 Sic frustrata tuis toties molimina perdens
407 Consiliis...
411 Firmasti invictos contra omnia crimina mores⁶.
424 Sed levius animi....⁷
437 Qui possit....⁸
454 Quum tenuem efflaret benedicto pectore vitam...

¹ Fortasse scribendum permixtus culpis meritis ad dicere poenis. (Petschnig)

² E sede. Ita cod. Buher. A sede edd. (Corpet)

³ Cursum. Ita mendose edd. omnes. Cursu cod. Buher. Cursim conjiciebat Barthius. Quorsum legendum puto, sed aliquid adhuc deesse videtur. (Corpet)

⁴ Illo. Ita cod. Buher. Illam edd. (Corpet)

⁵ Cod. Buher. atque ruis. (Corpet)

⁶ Invictos. Sic cod. Buher. et Barthius; invictus edd. (Corpet)

⁷ Sed levius animi. Ita mendose cod. Pith. et edd. omnes. Audaciore conjectura scribebat Barthius legibus ast animi. Veteris scripturae vestigiis insistens. legendum puto sed levius minimis, i. e. escis. (Corpet)

⁸ Cod. Buher. posset. (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. IV.

- 11 Saepe babit *propius*...
 13 Turbida non longe *porgemus* pocula *pigris*...
 27 Durabat crebros concrescens stiria *fletus*...
 79 Sic altare petens *et* multo comptior heros...
 84 Radicis *rabor*...
 88 *Offulsit* rutilans...
 110 Hunc adeat solum ; *renovanda* ad tempora vitae ..
 113 Credidit *optatis*...
 120 Corpore sanato transfusam in *corda* salutem...
 121 Dum fidei meritis *crescat*...
 127 quem forte malus lethaliter *ictu*...
 138 Contactum *dextrae*...
 209 Confestim *celeris*...
 226 Tum demum *attoniti* monstris...
 246 Historiam pungendo refer, *mea Musa*, sacerdos...
 254 *Rursus iter gressus*...
 268 Commissis cupidus *gauderes*...
 308 mens tota *rigorem*...
 379 Et *quantum officio*....
 395 docili quo dente *retentes*...¹³
 431 *Et ferrent*...

EDITIO PARISIANA

LIB. IV.

- 11 Saepe babit *proprios*...¹.
 13 Turbida non longe *purgemus* pocula *libris*...².
 27 Durabat crebros concrescens stiria *flatus*...³.
 79 Sic altare petens *et* multo comptior heros...
 84 Radicis *robur*...⁴.
 88 *Effulsit* rutilans...⁵.
 110 Hunc adeat : solum, *renovandae* ad tempora vitae...
 113 Credidit *oblatis*...⁶.
 120 Corpore sanato transfusam in *corde* salutem...
 121 Dum fidei meritis *crescit*...⁷.
 127 quem forte malus lethaliter *ictum*...
 138 Contactum *dextra*...
 209 Confestim *celeres*...⁸.
 226 Tum demum *admoniti* monstris...⁹.
 246 Historiam pangendo refer ; *via versa*, sacerdos...
 254 *Rursum iter ingressus*...¹⁰.
 268 Commissis cupidus *gauderet*...¹¹.
 308 mens tota *vigorem*...
 379 Et *quoniam officiis*....¹².
 395 docili quo mente *retentas*...
 431 *Ut ferrent*....¹⁴.

¹ *Proprios*. Ita male cod. Buher. et edd. *Propior*, vel, cum Gronovio, *propius* legendum puto. (Corpet)

² J. F. Gronovius *porgemus* *pocula pigris*. Quam lectionem, utpote potiorem, gallice vertendo secutus sum. (Corpet)

³ *Fletus* codd. Pith. et Buher. Quod Barthio placebat. (Corpet)

⁴ *Rabor* cod. Pith. (Corpet)

⁵ Cod. Buher. *effulsit*. (Corpet)

⁶ *Oblatis*. Sic Juretus. *Optatis* codd. Pith. et Buher. edd. Paris. 4. et Pisaur. (Corpet)

⁷ Cod. Buher. *crescat*. (Corpet)

⁸ *Celeres*. Ita cod. Buher. ed. Par. 4. Barth. et ed. Pisaur. *Celeris* alii. (Corpet)

⁹ Cod. Buher. *attoniti*.

¹⁰ *Rursum iter ingressus*. Ita cod. Buher. *Rursus iter gressus* edd. (Corpet).

¹¹ *Cupidus gauderet*. Sic optimè correxit Barthius. *Cupidus gauderes* cod. Buher. (Corpet)

¹² *Quantum* codd. Pith. et Buher. in quo, pro *officiis* legitur *officio*. (Corpet)

¹³ *Retentes* scripsi. (Petschnig)

¹⁴ *Ut ferrent*. Ita edd. Par. 4 et Pisaur. *Et ferrent*, cett. et cod. Buher. (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. IV.

- 463 Arentes stipulas *saeva* *ut* incendia...
 491 In lucem fando *expediant*...
 525 *Pellicia* cernens obtectum...
 534 Adridens *aspexit*...
 588 Ut *suffosso* illic species non permanet *agro*..
 604 *Occoepit* stimulare animum...
 622 *Districtosque* enses..
 635 Diffisaeque armis studeant se *cludere* portis...
 637 Talibus effrenae sanavit *vulnera* mentis...
 659 Nec tanti *posset*....
 662 Quae spem *contulerant*....

EDITIO PARISIANA

LIB. IV.

- 463 Arentes stipulas *ut saeva* incendia... ¹.
 491 In lucem fando *expeditunt*... ².
 525 *Pellicea* cernens obtectum....
 534 Adridens *respexit*....
 588 Ut *suffossa* illic species non permanet *agri*...
 604 *Hunc coepit* stimulare animum... ³.
 622 *Districtosque* enses....
 635 Diffisaeque armis studeant se *claudere* portis..
 637 Talibus effrenae sanavit *gaudia* mentis... ⁴.
 659 Nec tanti *possit*.... ⁵.
 662 Quae spem *contuderant*.... ⁶.

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. V.

- 20 Hic jam *bis senis*....
 33 *Æmula bis senis*....
 86 Tum *benedicendo* promi...
 88 Per *quae*...
 89 in *ora* puellae est...
 94 Incertosque sonos genitoris *nomina* *jussit*...
 104 *Et*, *quotiens*...
 111 Aut quibus in *cunas* verbum venisse *beatas*...

EDITIO PARISIANA

LIB. V.

- 20 Hic jam *bissenis*....
 33 *Æmula bissenis*..
 86 Tum *benedicendum* promi... ⁷.
 88 Per *quem*...
 89 in *ore* puellae est... ⁸.
 94 Incertosque sonos genitoris *nomine* *sumpsit*..
 104 *Et quoties*...
 111 Aut quibus in *cunis* verbum venisse *beatiss*... ⁹.

¹ *Ut saeva*. Ita cod. Buher. et Barthius. *Saeva* *ut* cod. Pith. Quod tuetur Juretus, quia veteres, inquit, litteram saepe produxerunt, etiam sequente vocali. (Corpet)

² *Expediunt*. Ita cod. Buher. *Expediant* edd. (Corpet)

³ *Hunc coepit*. Ita cod. Buher. *Hoc coepit* cod. Pith. *Occepit* edd. (Corpet)

⁴ Vox *gaudia* hoc ex sequenti versu irrepsisse vide-ur. Malim certe *vulnera*. (Corpet et)

⁵ *Possit*. Ita cod. Buher. et edd. Paris. 4. et Pisaur. *Posset* reliqui.

⁶ *Contuderant*. Sic recte emendavit Barthius. *Con-tulerant* cod. Buher. et edd. omnes. (Corpet)

⁷ *Benedicendum*. Ita recte Barthius. *Benedicendo* cod. Buher. et edd. omnes. (Corpet)

⁸ *In ore*. Barthius *in ora* malebat. (Corpet)

⁹ *Cunis... beatiss*. Ita cod. Buher. *Cunas... beatas* Juret. (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. V.

- 137 Propter et *admotos*....
 162 Nec nimis oppleto nutaret *testa* fluento... ².
 178 Sic *juge*....
 199 sed multo *extantius* idem..
 216 *Cui* postquam...
 258 *Et jus*....
 290 *contexti* vincla papyri...
 320 Solus *et intrepidus*...
 325 Terrificique oris *praestructum*...
 340 Tu claustra *quietis*...
 430 Vellera vestitus *tectis* haerentia membris...
 431 Ne *flexo*....
 439 et rigidi *conexis* frigore venti...
 449 penitus plangens *fastigia* culmi...
 459 Hoc igitur *compulta* malo...
 465 Nam simul ac Domino...
 474 Quattuor ex plenis...
 480 Sed jam....
 502 *Conspicuo* solio excellens....
 505 Daemonis insani speciem cervice *reclinem*...
 532 *Nunc* famulis habitata Dei...
 561 Vellera *duritiae*....

EDITIO PARISIANA

LIB. V.

- 137 Propter et *admotus*... ¹.
 162 Nec nimis oppleto nutaret *destra* fluento...
 178 Sic *jugi*.... ³.
 199 sed multo *extentius* idem.. ⁴.
 216 *Qui*, postquam.... ⁵.
 258 *Et vis*.... ⁶.
 290 *contextae* vincla papyri...
 320 Solus *et intrepidus*...
 325 Terrificique oris *perstrictum*... ⁷.
 340 Tu claustra *quietus*... ⁸.
 430 Vellera vestitus *rectis* haerentia membris... ⁹.
 431 Ne *flexu*....
 439 et rigidi *connexus* frigore venti ¹⁰..
 449 penitus plangens *vestigia* culmi...
 459 Hoc igitur *compuncta* malo... ¹¹.
 465 Nam simul ac Domino...
 474 Quatuor et plenis...
 480 *Et jam*....
 502 *Conspicuus*, solio excellens...
 505 Daemonis insani speciem cervice *reclinis* ¹²...
 532 *Tunc* famulis habitata Dei... ¹³.
 561 Vellera *duritiae*.... ¹⁴.

¹ Cod. Buher. *admotos*. *Admotus* ed. Paris. 4.
 (Corpet)

⁸ Statim pro *quietus*, quod ex ed. Pisaur, recepi,
quietis habent ceterae edd. et cod. Buher. (Corpet)

² *Testa* scripsi. (Petchnig)

⁹ *Rectis haerentia*. Ita cod. Buher. *Tectis haerentia*
 Juretus et edd. (Corpet)

³ *Juge* scripsi. (Petchnig) - Scribendum omnino
 cum Barthio videtur *juguli*, i. e. *collis*. (Corpet)

¹⁰ *Connexus*. Codd. Pith. et Buher. *conexis*. (Corpet)

⁴ *Extentius*. Codd. Pith. et Buher. *extantius*. (Corpet)

¹¹ Cod. Buher. *compulta*. (Corpet)

⁵ *Qui*. Ita quoque Barthius. *Cui* cod. Buher et edd.
 omnes.

¹² *Reclinem*. Sic recte Juretus. *Reclinis* cod. Buher.

et ed. Paris. 4. (Corpet)

¹³ *Tunc*. Legendum forte *nunc*, ex Sulpitii Severi
 verbis... (Corpet)

⁶ *Et vis*. Cod. Buher. *et jus*. (Corpet)

¹⁴ *Vellera duritiae*. Ita optime ed. Pisaur. *Vellere*

⁷ *Perstrictum*. Sic reposui. *Perstructum* cod. Buher.
 (Corpet)

duritiae codd. Pith. et Buher. et edd. Paris. 4. Daum.

et Lugd. *Vellera duritiae* Barthius. (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. V.

- 600 *Nec mirum ut Dominus...*
 605 *Dominum complesse farentem...*
 622 *reliquus per caerulea tractus...*
 634 *praestructi gurgitis aestu...*
 708 *Inserit emeritas...*
 743 *Tyrreni in marmore pontum...*
 826 *jam laeso judice...*
 843 Argenti... *praedicti ad limina libras...*
 851 *proprios recepit in usus...*
 856 *Servarent numerata fidem...*

EDITIO PARISIANA

LIB. V.

- 600 *Nimirum ut Dominus...¹*
 605 *Dominum complesse farentem...²*
 622 *reliquos per caerulea tractus...*
 634 *perstricti gurgitis aestu...*
 708 *Inseret emeritas...³*
 743 *Tyrrheno in marmore pontum...⁴*
 826 *tam laeso judice...⁵*
 843 Argenti... *praedicta ad limina libras...*
 851 *proprios suscepit in usus...*
 856 *Servarent admissa fidem...⁶*

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. VI.

- 1 *Instauras nostram renovanda...*
 17 Indigno rursum *templo....⁸*
 18 *Tanta sinus...*
 29 *nec credulus auras...*
 32 *Inspecta adsertor....*
 39 *furioso a daemone sensus..*
 93 Chunorum plerumque sonos *fert atque minantum*
 94 Murmura...¹⁰
 122 *Pallebat.....*
 137 Ut Balaam, *Domini cupiens...*

EDITIO PARISIANA

LIB. VI.

- 1 *Invitas nostram revocanda...⁷*
 17 Indigno rursum *tanta...*
 18 *Quanta sinit..*
 29 *nec credulus aurae...⁹*
 32 *Inspectae adsertor...*
 39 *furioso daemone sensus...*
 93 Chunorum plerumque sonos *fractaque minantum*
 94 Murmura...
 122 *Pallebant.....*
 137 Ut Balaam, *cupiens Domini...*

¹ *Nimirum*. Hoc reposui ex Barthio. *Nec mirum*
cod. Buher. et edd. (Corpet)

⁶ Cod. Buher. *servarent numerata fid.* (Corpet)

² Cod. Buher. *farentem.* (Corpet)

⁷ *Invitas...* *revocanda.* Cod. Buher. *instauras...*
renovanda. (Corpet)

³ *Inseret.* Sic reposui, Barthio monente. *Inserit*
edd. omnes. (Corpet)

⁸ *Templo* Hartel. *Tanta ad.* Jurel. (Petchnig)

⁴ *Tyrrheno.* Sic recte Jurel. *Tyrreni.* cod.
Buher. (Corpet)

⁹ *Credulus aurae.* Ita recte Jurel. *Credulus*
auras. Ita cod. Jurel. (Corpet)

⁵ Statim pro *jam laeso* reposui *tam laeso*, monente
Gronovio. (Corpet).

¹⁰ *Inspectae.* Cod. Pith. *inspecta.* Cod. Buher. *inspec-*
tor. (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

LIB. VI.

- 149 Non tacet invisaque sibi fit praeco salutis..¹.
 162 Quot causae *ad*tulerant...
 195 *tum* prava voluntas...
 276 non *repperit* ullas...
 287 Nec rapis ornatum *templi*...
 291 Jam posito terrore *leges, correcte* periclis...
 329 *quid* pectore toto...
 353 *Instauraret ovans*...
 368 *E* cunctis...
 426 *et* turbiuis iras...².
 442 *Plena atque* piis miracula gestis...
 468 credens se *ferre* salutis..
 481 Et *tam* contiguam...
 503 Quae *quereris* descripta parum....

EDITIO PARISIANA

LIB. VI.

(Deficit iste versus)

- 161 Quot causae *attulerint*...
 194 *dum* prava voluntas ...³.
 275 non *reppulit* ullas ...³.
 286 Nec rapis ornatum *templo*...
 290 Jam posito terrore *legens correcta* periclis...⁴.
 328 *quod* pectore toto...⁵.
 352 *Instaurat renovans* ...⁶.
 367 *Et* cunctis...
 425 *ob* turbinis iras..
 441 *Plenaque* piis miracula gestis...
 467 credens *afferre* salutis...
 480 Et *jam* contiguam...⁸.
 502 Quae *quaeris* descripta parum...⁹.

¹ Solus servavit R. (Petchnig)

² *Dum. Lego tum.*

³ *Reppulit.* Ita codd. Pith. et Buher. et edd. Paris.
4 et Pisaur. *Repperit* Juretus et cett. edd. (Corpet)

⁴ *Legens correcta.* Ed. Par. 4. *leges.* Ed. Pisaur.
Buher. *leges correpta.* Cod. *leges correcte.* (Corpet)


⁵ Cod. Buher. et edd. Paris. 4 et Pisaur. *quid.*
(Corpet)

⁶ *Instauraret ovans* codd. Pith. et Buher. *Instaurat*
renovans. Ita corredit Juretus. (Corpet)

⁷ *Plena atque* scripsi. (Petchnig)

⁸ *Et tam contiguam* cod. Buher. et edd. omnes.
(Corpet)

⁹ *Quae quaeris.* Malim *quae quereris.* (Corpet).



CARMINA MINORA

Prologus.

EDITIO VINDOBONENSIS

*Domino sancto ac beatissimo patrono
Perpetuo episcopo Paulinus.*

Iterato asinae ora reserastis, qui mihi loquendi fiduciam praestitistis, cum *obtecto* ore in eo loco verecundius silentio contiscescerem quam imperita verbositate garrire. Sed *quaerit* de suffragii adsiduitate *suggestionem*, ni votum loquendo prodidero...?

Caetera sequuntur eadem in utroque libello, si excipias vocem *humilitatis* pro qua reposuit *imbecillitatis* Corpetius, quanquam *humilitatis* erat in cod. Buher.

EDITIO PARISIANA

*Domino sancto ac beatissimo patrono
Perpetuo episcopo Paulinus.*

Iterato asinae ora reserastis, qui mihi loquendi fiduciam praestitistis, quum *objecta* ore in eo loco verecundius silentio contiscescerem quam imperita verbositate garrire. Sed *quaerit* de suffragii adsiduitate *suggestionem*, votum *quod* loquendo prodidero...?

EDITIO VINDOBONENSIS

Versus Paulini de visitatione Nepotuli sui

5 <i>Ut tenuis.</i>	
17 <i>Quae meminisse juvet...</i>	
26 <i>Subtracto pulsu...</i>	
32 <i>Nuper contigerat perlata...</i>	
33	<i>inde...</i>
57 <i>Quam persensit opem...</i>	
61 <i>Quo saepe....</i>	

EDITIO PARISIANA

Versus Paulini de Visitatione Nepotuli sui

5 <i>Et tenuis.....</i>	
17 <i>Quae meminisse jubet...¹</i>	
26 <i>Subtracti pulsus...²</i>	
32 <i>Nuper contigerat perfectam...</i>	
33	<i>index...³</i>
57 <i>Quam praesensit opem...</i>	
61 <i>Qua saepe....</i>	

¹ Hic locus valde corruptus erat in codd. — *Quae erit...* ni scripsit Petschenig ex libidine. — *Querit.... suggestionem...* *votum quod..* Haec ita restituit Corpetius ex cod. Buher., qui cum Sangallensi conspirare videtur.

² Haec sic emendavit Barthius : *Quae meminisse juvet.* (Corpet)

³ Cod. Pith. *subtracto pulsu..* (Corpet)

⁴ *Inde erat in cod. Pith.* (Corpet)

EDITIO VINDOBONENSIS

Versus Paulini de visitatione Nepotuli sui

- 67 Alque *ipso* ingressa est quo credita puncto...
 70 Poscit et illa *torus*...
 74 Si dure inque vices...
 76 . . . dum spiritus hos *regit* artus...

EDITIO PARISIANA

Versus Paulini de Visitatione Nepotuli sui

- 67 Alque *ipsa* ingressa locum quo credita puncto...
 70 Poseit et illa *toris*....
 74 Sicque duo inque vicem.... ¹.
 76 . . . dum spiritus hos *reget* artus ²...

VERSUS PAULINI DE ORANTIBUS

- 11 *Ilic* conjunctum...

EPIGRAMMA BASILICAE MARTINI

apud Turones inscriptum.
Super ostium a parte Ligeris.

- 11 *Illuc* conjunctum.... ³.

¹ *Sicque duo.* Hanc Pithoei restitutionem, probante Barthio, recipere non dubitavi. (Corpet)

² *Reget.* Sic Juretus. *Regit* cod. Pith. (Corpet)

³ *Illuc.* cod. S. Germ. *illuc.*



Ambas editiones diligenter exploranti mihi contigit ut nonnullae voces occurrerent, quarum orthographia valde dissimilis erat in utroque libro. Quas primum nonnisi curiositatis causa observaveram; at, quum frequentius progredienti occurrerent, sedulo notavi, ratus me haud inutilem rem facturum, si eas transcriberem legentibusque quasi in tabula offerrem, ut si quis unam tantum editionem evolveret, sciret tamen quo illa ab altera, non versuum modo contextione, ut supra demonstratum est, sed et vocum orthographia discreparet. Neque mihi in animo est iterum referre « indiculum orthographiae » quem Petschenig editioni suae postposuit, quarum quippe observationum pleraeque in nostram quoque incident, sed eas tantum ex ejus libello eruere voces quas alio modo ac Corpetius noster scribendas censuit :

AE = E. — Taetris, II, 330; saetis, II, 371, IV, 239; taetro, IV, 439; saetoso, IV, 75, 310, V, 834; saetosi, V, 559; glaebis, IV, 544; caespite, IV, 545, 554; faeni, Visit. 52.

AE = OE. — Faetabant, II, 330; faetentia, IV, 290; faetorem, II, 564, 601; faetore, III, 410; maesta, II, 511, VI, 121; maestorum, V, 22; maerens, V, 34; mae-rore, V, 720, VI, 466; maestum, V, 722; maestior, V, 811; maestis, VI, 386; maestus, Orant. 20; caelesti, III, 287, VI, 361; caelum, III, 149, V, 718, VI, 381; caelestis, V, 429, 726; caeleste, V, 774, VI, 384; caelo, V, 853; caeli, VI, 229; faenum, IV, 448, 461.

E = AE. — Levis, V, 624; levia, I, 110, III, 106, IV,

477, 626; frenis, iv, 94, 307; effrenae, iv, 637; ques-tibus, iv, 301; heres, iv, 417.

E = EE. — Derat, derit, *passim*.

E = OE. — Cenae, ii, 137.

ENS = ES. — Totiens, iii, 41, 206, 364, 408, iv, 465, vi, 465; *Visit.* 31; quotiens, iv, 106, 295, v, 25, 104, 403.

I = E. — Dulcido, iii, 385.

I = U. — Obstipuit, iv, 327, v, 684.

IS = ES (*ad nom.*) — Rupis, ii, 112; famis, ii, 118, iii, 109; molis, ii, 182; luis, v, 802.

IS = EIS. — Quis, iv, 151, v, 73, 796; *Visit,* 35, *Orant.* 14.

O = AU. — Clodus, *Orant.* 19 (alias *claudus*, ii, 481, vi, 460).

OR = UR. — Robor, iv, 84, vi, 416.

O = U. — Sulphoreo, v, 279; sulphorea, v, 595; sulphoris, vi, 155.

U = O. — Epistula, ii, 671.

UE = E. — Urguente, ii, 354, vi, 406; urgumentur, ii, 358; urguere, iii, 326; perurguet, vi, 62, 70; urguens, vi, 415; urguebat, vi, 475; urgumentem, vi, 488.

UM = YM. — Cumba, ii, 4, 419.

In praepositionibus *ad*, *con* (= *com*), *in*, *ob*, *sub*; ultimam consonantem alteri in eodem verbo subsequenti non assimilat :

AD

AD = AC. — *Adcelerat*, I, 367.

AD = AF. — *Adficerent*, I, 478; *adficiens*, VI, 166; *adfatu*, II, 478; *adfectum*, II, 504, IV, 406, V, 828, 848; *adflata*, IV, 665.

AD = AL. — *Adlegans*, V, 825.

AD = AP. — *Adponit*, IV, 375; *adpensi*, V, 432.

AD = AR. — *Adripiens*, II, 360.

AD = AS. — *Adsignans*, V, 799 (*attamen assiduis*, V, 447).

AD = AT. — *Adtactus*, III, 117, IV, 281, 462; *adtentus*, I, 403, III, 354; *adtendens*, IV, 663, VI, 66; *adtonitus*, I, 299, II, 405, V, 399; *adtrahere*, II, 559; *adtractus*, V, 39; *adtritus*, II, 87, IV, 44.

Consonantem D saepissime rejicit quum S sequitur
— *Aspectare*, III, 308: *aspicere*, IV, 166, 496, 534, 583, V, 504, VI, 204; *aspectus*, III, 304; IV, 195, 483; *ascendere*, V, 795; *aspergine*, V, 764, 768.

CON

CON = **COL.** — Conlapsus, **ii**, 337, 452, 742, **v**, 757; conlatus, **iv**, 618, **v**, 723, **vi**, 461, 398; conlidere, conlisus, **ii**, 375, 454, 591, 742, **iv**, 24, 283, **v**, 244, 570, 704.

CON = **COM.** — Comminuit, **v**, 594; commissas, **v**, 724.

CON = **COR.** — Conruit, **ii**, 744.

CON = **CONN.** — Conectere, **iii**, 44, **iv**, 312, **v**, 632; connectus, **v**, 599; conexus, **iii**, 274, **v**, 36, 74, 259, 439, 538, 560, **vi**, 142; conisus, **iii**, 36.

IN

IN = **IL.** — Inlaesus, **iii**, 157, 221, **iv**, 98, 554, 584, **v**, 234, **vi**, 408; inlectus, **iv**, 655; intidere, **ii**, 411, **v**, 228; inlicitus, **iii**, 214; inlustrans, inlustris, **ii**, 479, **v**, 696, **vi**, 111, ... passim.

IN = **IM.** — Inmota, **vi**, 424; immitem, **v**, 488.

IN = **IR.** — Inriguus, **i**, 128, **ii**, 155, **iv**, 354; inridere, inrisus, **i**, 316, **ii**, 451, **iii**, 249; inrumpere, **i**, 140, 328, 353, **ii**, 4, 395, 495, **iii**, 163, 365, **iv**, 20, 347, **v**, 334, 376, 739, **vi**, 223, 422.

OB

OB = **OP.** — Obpositus, **iv**, 294; obplere, **v**, 177; obpressus, **i**, 180, **ii**, 357, **iii**, 34, **iv**, 492, **vi**, 110; obprobrium, **iii**, 444.

SUB

SUB = SUF. — Subfusus, iv, 183.

SUB = SUP. — Subplevit, v, 186; subpressus, v, 485.

C

C = CC. — Sucus, ii, 529, 717, iii, 385, v, 102, 129, 191, 820, vi, 453, 294; sucina, iv, 565, *Visit.* 51.

CC = C. — Bracchia, ii, 260, v, 677, vi, 179, (*brachia tamen*, iv, 285, 570); zacchariam, v, 726.

C = D. — Quicquam, ii, 417, iii, 60, vi, 91, 326; (*quidquam tamen*, iv, 628, et *quidquid* *passim*).

C = G. — Neclegere, iv, 286, 596, v, 546, vi, 195; (*neglegere tamen*, iv, 41).

CHR = CR. — Fulcrum, ii, 149, iii, 77, 91, v, 238, 584, vi, 63.

C = QU. — Cum, secutus, (*passim*).

C = T. — Dicio, i, 170, 209; condicio, ii, 282; solacium, i, 296, ii, 744, iii, 23, 169, 332, iv, 316, 329, 528, 611, 636, 711, 722, etc.

C REJICITUR. — Artus, artare, artatus, ii, 102, iii, 194, iv, 77, 126, *Visit.* 63.

F

F = PH. — Foebus, i, 300, iii, 211, vi, 339; lympha, iv, 252, 376, 576, vi, 277, 332, 382, 391, 453; lymfaticus, iv, 252; (*lympha* tamen, ii, 716, iii, 99, 111); amfibalum, iv, 49; delficus, i, 302; Falaris, v, 261; symfonia, iii, 270; tropaeum, iii, 359; zefyrus, v, 783.

G

G REJICITUR. — Dinoscere, iii, 403.

H

H REJICITUR. — Umectati, iii, 120; uimenti, iv, 565; umida, v, 749; umore, i, 339, iv, 574; erus, vi, 397, 484 (vid. tamen *herus*, iv, 133); clamis, i, 74, 107; arra, vi, 21; cordis (*chordis*), iii, 211 (vid. tamen *chor-dae*, vi, 104); letum (*lethum*), iii, 190, 198, Visit. 68; letaliter, iv, 127; letale, iv, 529; reda (*rheda*), iv, 165, 206; tyrrenus (*tyrrhenus*), v, 749; pro (*proh*) *passim*.

H ADJICITUR. — Harena, iv, 481, v, 123, 752, vi, 279, 385, 414; heremus, i, 22; fulchra (*fulcra*), ii, 149, iii, 77, 91, v, 238, 584, vi, 63.

J

J REJICITUR. — Obicit, proicit, iii, 240, iv, 76, v, 341, *passim*.

L

L GEMINATUR. — Cautella, v, 520; medella, ii, 703, 705, iv, 441, v, 721, vi, 152, 165, 297; loquella, i, 65,

ii, 639, iii, 147, 279, iv, 105, 579, v, 21, 93, vi, 99; querella, ii, 193, iv, 30, v, 38, 771; tutella, vi, 164; sollers, sollertia, i, 53, 81, v, 350, *Visit.*, 25, *Orant.*, 16; sollemnus, sollemniter, iv, 66, 86, v, 652, 701, vi, 351, 387.

L REJICITUR. — Milia, vi, 35, 419; *Orant.*, 15; religio (*Corpet religio*) *passim*.

M

M = N. — Exim, ii, 529, iv, 39, v, 97; tamquam (*Corpet tanquam*), i, 80; quamquam, ii, 158, v, 793, vi, 79; *Orant.* 6; umquam, *passim* (ii, 425, iii, 134, vi, 316 ...)

MPT = NT. — Temptare (*tentare*), ii, 365, 380, 408, iii, 152, 206, 257, 388, iv, 467, v, 6, vi, 26, 268.

N

N = M. — Quendam, iv, 455; quenquam, iii, 182; conperta, i, 6.

S

S REJICITUR. — Expectare (*Corpet exspectare*), vi, 375; extare, ii, 374, 605, iii, 105, v, 249, vi, 412, 221; exultare, v, 482, 386.

T

T GEMINATUR. — Quattuor, v, 474; sed *litora*, (*Corpet, littora*) *passim*.

T = C. — Ambatiae (Corpet, *Ambaciae*), v, 533, 555.

T = B. — Haut, I, 12, II, 294, 345, 420, III, 137, 268, IV, 162, V, 530, VI, 139, 185.

Hae intercedunt, quoad textum scripturamque, inter utramque editionem discepantiae, quae, ut videtis, haud magni momenti sunt, si prologum duodecimque versus excipias. Hoc autem magis commendatur opus quod ad calcem indices reposuit Petschenig, sive auctorum, quos imitatus est Paulinus, et Scripturae sacrae locorum, quibus idem usus est, sive etiam nominum et rerum, verborumque et locutionum, quae passim legenti occurrunt, in quo indiculo multa de grammatica et versificatione doctissime exponuntur, sive denique scripturae et orthographiae¹. Quae omnia, quanquam magna jam ex parte multo labore confecram, non iteranda censui, quoniam satis et abunde in Vindobonensi editione tractata sunt.

Paulinum autem satis emendavit Corpetius, ut ad ejus editionem sine ullo errandi periculo remitti legens possit. Sed Vindobonensem quoque signabimus editionem, ut, qui alterutram tantum in manibus habuerit, ad eam statim recurrat.

Verum, antequam de Paulino Petrocorio peculiariiter disseratur, haud inutile visum est explorare breviter quales fuerint, a Constini praesertim temporibus ad quintum usque saeculum, christiani poetae, quas res fidibus suis aptarint, quibus denique aut virtutibus commendentur aut vitiis displiceant.

¹ P. 166-190.



CAPUT PRIMUM

§ I. — **Quinam praecipui fuerint ante Paulinum
Petrocorium christiani poetae.**

§ II. — **Paulini Petrocorii vita describitur.**





CAPUT PRIMUM

§ I. — **Quinam praecipui fuerint ante Paulinum Petrocorium Christiani poetae.**

§ II. — **Paulini Petrocorii vita describitur.**

§ I. — Christianae poesis annales evolenti omnium primus occurrit Commodianus qui sub annum 250 floruit. Nec est quod demiremur nullos fuisse ante hoc tempus christianos poetas. Christianis enim pastori-bus, quum religio nova adhuc in cunabulis esset et omnigenis mendaciis falsisque paganorum criminibus vexaretur, omni ope imprimis enitendum fuit ut suam disciplinam didascalicis libris palam exponerent, praejudicatasque opiniones et errores ex animis de-pellerent¹. Cui obeundo labore minime, ut sciunt, apti

¹ Ebert. *Histoire Générale de la littérature du moyen âge en Occident*, tom. I. *Histoire de la littérature latine chrétienne*, p. 34. (Traduit de l'allemand par le docteur Aymeric et le docteur James Condamin. Paris, Ernest Leroux, 1883.)

sunt poetae, qui figuratas locutiones et sententiarum lumina maxime quaerunt, ideoque nescio quid incerti et dubii in dicendo fere semper retinent. Haud parvi autem momenti erat certis ac praefinitis sententiis christianam doctrinam ab initio stabiliri, ne quis in errorem, verborum ambiguitate, induceretur. Neminem enim fallit quot et quantae haereses ex una saepe voce, ex uno vel accentu olim ortae fuerint. Iis igitur, qui inter christianos primi scripsere, prosaico, id est, exacto et subtili sermone uterentur necesse fuit; inde *Apologetici* illi libri, in quibus et suam acriter defendebant, et paganorum magna eloquentia confutabant religionem.

Hoc quidem librorum genere non plebem ipsam, dialecticae artis plane ignarain, sed eruditos viros ac philosophos praesertim convincere aggrediebantur Minutius Felix, Tertullianus, Cyprianusque et Arnobius, atque, sub Constantini tempora, Lactantius, omnium fere christianorum scriptorum copiosissimus.

Plebem vero ipsam Commodianus, cuius nomen supra retuli, docere meditatus est. Ille enim, postquam pejora diu secutus esset, seroque tandem ad christianam religionem se convertisset, tanti beneficij haud immemor, ceteris et praesertim ignaris, ut ipse dicit¹, idem illud divinum lumen quo ipse illuminatus fuerat, praeferre statuit, atque, quo facilius propositum assequeretur, christianam disciplinam versuum modu-

¹ « ... Perdoctus ignaros intruo verum ».

lis subdere tentavit. Scripsit igitur *Instructiones octoginta parastichidibus constantes*, quarum in priore parte falsa Numa facete deridet, paganorumque corruptos mores, luxuriam et immanem divitiarum sitim acriter vituperat; in posteriore autem Christianos ipsos admonet hortaturque ut honestam castamque vitam agant. Scripsit et *Apologeticum carmen* in quo fusius quam in *Instructionibus* christianam religionem commendat, paganosque et Judaeos hortatur ut ad veram fidem se convertant. Tempus enim proximum, quo omnibus hominibus pereundum erit. Ii autem soli qui in Deum et Trinitatem credunt ex universa ruina vivi renascentur, urbemque sanctam Jerusalem cum Christo victore ingredientur.

Commodianum tamen vix poetam dicere ausum, nisi metro scripsisset, utpote apud quem nullus sit sermonis cultus, nulla verborum elegantia, sed rude dicendi genus, et incomptae sententiae, quas poetica veste, invitis Camoenis, adornare conatur. Illud autem notatione dignum est quod inter poetas primus est apud quem deprehenditur propensio illa qua postea, octavo scilicet aut nono saeculo, popularis accentus unica factus est versuum et modulationis regula. Versus enim suos, nulla quantitatis et hiatus habita ratione excudit¹, eorumque percussio, ut observat Ebert², una saepissime constat ad quartum pedem

¹ ... Omnia non possum comprehendere parvo libello...
Curiositas docti inveniet nomen in isto...

² Vid. op. cit. p. 103.

caesura, duobusque post quintam arsim thesibus. Quapropter musa ejus plebeium sermonem plane redolet.

Post Commodianum diu siluere christiana Camoenae, donec, Constantino victore, ex longo somno renascerentur, vimque novam ex ipsa necessitate sumerent.

Tantum enim abest ut christiana religio, quum ad solium quasi evecta est, omnes sibi devinxerit animos, ut contra majus atque difficilius opus assumendum sibi putaverint novae religionis pastores. Multi enim, imperatoris exemplum minime secuti, in colendis Numinibus perstabant, atque, sive novarum odio rerum, sive contumacia quadam, sive etiam, ut fateatur Symmachus¹, majorum reverentia, christianam religionem detrectabant². Inter eos autem qui novis dogmatibus vehementissime repugnabant commemo rare decet adolescentes illos, nobili loco ortos, qui, quum in rhetorum officinis quotidie studerent, inde omnem et quasi semper redivivam paganorum hauriebant disciplinam. Intima namque familiaritate et quasi quodam agnationis jure inter se cohaerebant Musarum studia et sacra Deorum et uno eodemque verbo significari utraque solebant. Dum enim divi Homeri, Æschylive, aut Flacci Maronisque opera assidua

¹ « Suus cuique mos, suus cuique ritus est,... et sequendi sunt nobis parentes qui feliciter secuti sunt suos... »

² Ozanam : *La civilisation au v^e siècle.* — Beugnot : *Histoire de la destruction du paganisme dans l'empire d'Occident.*

versarent manu, suorum Deorum splendidos fastos perlustrabant, eorumque iras et amores, casus et bella, praeclaraque facinora poetico cultu exornata ultiro excipiebant, eaque alte memoria recondebant. Musarum itaque modulis, atque, nt ita dicam, versuum titillationi assueti, rigidam Christi disciplinam horribant, simplicemque et nudam Apostolorum narrationem aversabantur.

Nec minus efforam Scripturarum majestatem christianum verebatur vulgus, nec nisi invitum terrenda saepe Hebraicorum vatum dicta minasque legebat, quae quidem docti fastidio, indocti vero reverentia declinabant.

Quod quum intelligerent pastores christiani, omni industria studioque contenderunt ut proprios annales et Scripturarum elatam quidem sed incultam saepe et agrestem orationem poetici sermonis laetitia et colore fucarent, jucundamque, si licet, efficerent, atque ita doctos et indoctos, quasi reddita priscorum carminum voluptate, magis in dies sibi conciliarent. Cui quidem arti, quum extemplo haud pauci sese dedissent christiani, novum Musis aperuerunt campum et sacrae Historiae fastos iisdem fidibus aptarunt nuper falsorum Numinum in honorem pulsatis.

Inter eos autem qui sacrarum Scripturarum ingenuitatem versuum lenociniis decorare agressi sunt imprimis eminuere Vettius Aquilinus Juvencus¹ et Coe-

¹ *Biblioth. Patr. : Juvenci presbyteri, poetae christiani, de historia evangelica libri IV.— C. Vettii Aquilini Juvenci historiae evangelicae libri IV, etc.* Faustinus Arevalus. Romae 1792.

lius Sedulius¹. Prior quidem genere hispanus, haud ignobili loco natus, ut asserit Hieronymus², *Historiam evangelicam* quatuor versuum libris transcripsit, in quibus Mathaeum praecipue sequitur, interdum autem, quum deficit iste, ex Marco aut Luca aut Johanne eruit, unde continua narratione gesta Christi referat.

Posterior autem *Carmen paschale* scripsit, scilicet Veteris et Novi Testamenti praecipuos locos eruit, quos hexametris versibus transtulit.

In carminis sui praefatione paucis ostendit versibus Juvencus qua mente Musarum labores vir christianus suscepit. Quidquid humanum est aliquando disperreat placito divino statutum est³. Unicuique igitur enitendum est, ut quam diutissime in ore hominum sit. Inter eos vero, quorum memoria adhuc viget, diuque vigebit, commemorantur poetae, qui non modo sibi, sed illis, quos canendos suscepere, quasi semper redivivam tribuere laudem⁴. Quod si pagani poetae, qui mendaciis mendacia nexuere, tantam assecuti sunt gloriam, quantum decus adepturus est poeta qui Christum canit

Divinum in populis falsi sine crimine donum.

¹ *Biblioth. Patr.* : C. Sedulii presbyteri *paschale opus seu mirabilium devin orum libri V.*

² *De vir. ill. c. 84.*

³ ... Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus.

⁴ ... Sed tamen inumeros homines sublimia facta
Et virtutis honos in tempora longa frequentant,
Accumulant quorum famam laudesque poetae,
Nec minor ipsorum decurrit gloria vatum..

Pio quidem carminis sui deceptus amore Juvencus clamat :

Nobis certa fides aeternae in saecula laudis
Immortale decus tribuet meritumque respendet !¹

Sed frustra, quotusquisque enim nunc ejus evolvit
opera ?

Hunc tamen non parvi faciebant veteres ; hunc recentiores haud semel cum laude commemoraverunt : « Volo, aiebat Baptista Mantuanus, ante istorum oculos Juvencum Hispanum statuere. Prodite, o zoili nostri, videte virum sacris initiatum mysteriis, lauro coronatum, musis undique cinctum, lyram tenentem ; currite ad rarum hoc et grande spectaculum...² ».

Haec tandem Franciscus Petrarcha, in Bucolicorum suorum ecloga decima, quae *Laurea occidens* inscribitur :

Mira loquor quae supra fidem, sed carmina vidi
Hic hominis pariterque aquilae, bovis atque leonis,
Hispanum nostra modulantem voce Juvencum.

His autem laudibus nos non plane assentimus, Petri que Criniti sententiam libenter sequimur : « Inter alia poemata, inquit, quae dicuntur ab eo edita, scripsit quatuor evangelia hexametris versibus ; qua in re majore diligentia usus est in servanda rerum historia quam in demonstranda ingenii sui elegantia³ ». Illud

¹ Juvenci *Evangel. hist. praef.*, vers. 25, 26.

² Biblioth. Patr. an. 1589, p. 957.

³ Biblioth. Patr. an. 1589, p. 957.

enim imprimis assequi voluisse videtur, ut sacrum sermonem quam fidelissime interpretaretur, et quasi verbo verbum redderet. Quo fit ut exsanguis et frigidus plerisque videatur. Interdum tamen, veterum poetarum ac praesertim Virgilii memoria quasi abreptus, ab exemplaribus suis leviter digreditur, atque in describendas res aliquantis per sese immittit. Tum vero, etsi nonnullis vocibus utatur, quae christianam disciplinam minus deceant¹, ad poeticam dictionem accedit poetamque vere spirat.

Easdem fere scribendi causas afferit Sedulius in exordio carminis, nec majorem consecutus est apud posteros laudem, quamvis Juvenco longe praestare mihi videatur. Canit enim Sedulius, non, sicut Juvencus, narrat, nec carmine lento arcana Christianorum pandit, sed quasi soluto pede procedit, et eruditiois varietate dives, lepore et laetitia sermonis concinnus probatur.

Ejusdem temporis nonnulla sunt poemata quorum materies ex Vetere potissimum Testamento desumpta est, quod magis liberum magisque latum poeticis exercitationibus campum suppeditaret. Ejus generis est *Carmen de Moise et Josue*, quod Juvenco nonnulli adscripsere²; immerito, ut mihi videtur, siquidem in illo longe alia est ac in Historia evangelica Veteris Testamenti interpretatio³.

¹ Deus nonnunquam nuncupatur « Summus Tonans », et Christus « Proles veneranda Tonantis... ».

² Card. Pitra. Proleg. p. xxxv. Biblioth. Patr.

³ Vid. Ebert : *Histoire de la littérature latine chrétienne*, p. 133.

Nec multo post Juvenci tempora duo alia poemata scripta fuisse referuntur¹, nempe *Carmen de Nineve*², centum et quinque hexametris constans, quod Tertuliano tribuit olim Juretus ex vetusto P. Pithei codice, et *Carmen de fratribus septem Macchabaeis imperfectis ab Antiocho Epiphane*³, quod Victorino, rhetori Afro, plerique adscribunt, quodque septimum secundi Macchabaeorum libri caput quadringentis circiter versibus hexametris interpretatur.

Carminum illorum auctores, quicumque sunt, jam minus inhaerent sacro sermoni Vetusque Testamentum quasi ad arbitrium suum condunt diducuntque, nulla fere exemplaris sui habita ratione. Alter quidem longe alteri versuum elegantia et descriptionum venustate praestare mihi videtur, nonnullasque apud illum invenire est sententiarum figuras, quae nostram aetatem

¹ Vid. Ebert: *Histoire de la littérature latine chrétienne*, p. 134.

² *Biblioth. Patr.*: Q. Septimi Florentis Tertulliani Carthaginiensis presbyteri, *carmen de Jona et Nineve*. « Quod attinet ad titulum, ait Juretus, in v. c. inscribebatur *de Nineve*. Sed, quum tota narratio pertineat ad Jonam, visum est inscribere etiam *de Jona*. » Hoc quidem carmen ad nos non nisi truncatum pervenit, atque idcirco Tertuliano adscriptum est a Jureto, quod « Tertulianam phrasim, obscuram quidem et asperam, sed etiam eruditam plane redoleat ».

³ *Biblioth. Patr.*: Marii Victorini, rhetoris Afri, *carmen de fratribus... etc.*

Sanctae reliquiae duorum Victorinorum, etc... A. Rivini-Gotha, 1652.

redolere videntur. Alter autem nonnisi rhetoris inane opus excudit, quippe qui in describendis rebus semper luxurietur, qui matrem illam infelicem quasi in scenam proferat, longis scatentem orationibus, in quibus nil sincerum invenias, nil quod ex pectore profluat, sed tritas modo et obsoletas sententias, quales olim in rhetorum officinis exagitabantur.

Nescio an poetica inter opera non habendus sit cento Faltoniae Probae¹, quae Maronem non solum imitata, sed quasi furata est, ut paganam Musam christiane loqui coegerit. Illa enim, latinarum graecarumque litterarum peritissima², prima omnium aggressa est ex versibus Virgilii, quem totum memoria tenebat, varios utriusque Testamenti locos describere. Extractis igitur nunc integris versibus, nunc hemistichiis et hemistichiorum particulis, propositum opus, veluti centonem ex multis pretiosis pannis insutum, servata hexametri lege, composuit. Ex prologo autem conjicitur eam, antequam Sacra antiqua abjecerat, bella civilia longo descriptsisse carmine. Postea vero Christi doctrinam amplexa, spreto quo inclarerat quondam poesis genere, jam animum adjecit ad Scripturas sacras

¹ *Biblioth. Patr : Probae Faltoniae, feminae clarissimae, excerptum e Virgili carminibus, ad testimonium veteris et novi Testamenti, opusculum — Probae cento.* Recensuit et commentario critico instruxit Carolus Schenkl. Vindobonae 1888. *Poetae christ. minores*, vol. XVI.

² A nonnullis scriptoribus vocata est « altera Christianorum Sapho ».

carmine explicandas, at, que morem ejus aetatis secuta, hunc centonem composuit eo consilio ut in poematum ethnicorum locum substitueretur, eaque re legentium atque fortasse etiam puerorum erudiendorum commodis consuleretur¹. Mirum sane ac poene ridiculum opus est, si quis mysteria Christi paganis versibus pandere aggrediatur. Quasnam enim ex Marone aut alio aliquo voces et sententias hauriat, quibus apte et congruenter loquatur de Virginis partu aut de Christo cruci adfixo aut de multis aliis rebus quas pagani minime excogitaverant? Quo fit ut Probae versus vix intelligas nisi Testamentum ipsum memoria teneas. Quo etiam factum est ut a doctissimo quoque apud Christianos improbaretur id operis genus, quod res et verba Scripturae divinae ad exemplum orationis vergilianae detorta atque immutata fuissent. Nihil tamen impedit quominus studiose postea legeretur, et in pueris instituendis adhiberetur. Unde haud exiguum media aetate exemplariorum numerum in armariis coenobiorum extitisse, et libris qui ad nostram memoriam pervenerunt et catalogis antiquis edocemur. At, ut ex Vetere Testamento atque Evangelii tandem egredia-

¹ Vid. *Prolog.*, 13-15.

² Eodem fere tempore, altera mulier, Eudocia nomine, collegit breviter ad imitationem Probae Faltoniae ex Graecis Homeri versibus plurimas utriusque Testamenti historias, servata pedum mensura, et homerici carminis majestate, quod opus in compendium redactum *Homerocentra* nuncupavit.

mur, duo adhuc recensenda sunt poemata, quorum auctores ineunte quinto saeculo floruerent.

Aliud est Claudii Marii Victoris *Commentarium in Genesim*¹. Ex ipso titulo satis intelligitur Victorem non sacras Scripturas pedetentim, ut olim Juvencus atque etiam Sedulius, secutum fuisse, sed eas sponte sua aut dilatasse aut contraxisse. Ceteris enim neglectis, eas tantum res, quae poemati convenire videbandur, recepit, neque semper eum, qui est in Genesi, ordine in servavit; at, quum pueroru[m] in usum hoc carmen composuisset, omnia omisit quae tenerae puerorum menti turpes imagines praebere potuissent, ut ea quae in Genesi de Lothii filiabus narrantur.

In versibus quidem pangendis ita versatus est Victor ut ei artem elegantiamque defuisse non possis contendere. At mirandum profecto est, eum, ut ea aetate hominem rhetoremque, cuius erat pueros instituere, et ne similes committerent errores monere, errantesque castigare, nonnullis in locis tam turpiter leges metricas violasse². Suspicio illum paulo festinantius libros suos conscripsisse atque in publicum edidisse.

¹ *Biblioth. Patr : C. M. Victoris, oratoris Massiliensis ad Aetherium filium commentariorum libri III.*
Vid. *Poetae christiani minores*, p. 335.

² Cujus vitii sic ipse excusationem affert in *Precatione*, v. 119 et seqq.

Quod si lege metri quicquam peccaverit ordo,
Peccarit sermo inpropius sensusque vacillans —
Incauto passim liceat decurrere versu —
Ne fidei hinc ullum subeat mensura periculum.

Aliud est *Metrūm in Genesim*, quod olim Hilario Pictaviensi, hodie autem Hilario Arelatensi adscribunt. Carmen illud octoginta tantum decem et septem hexametris constat, quibus poeta breviter describit orbis creationem, peccatum originale et quot inde in nostrum genus profluerint mala, diluvium denique, post quod surgit melior hominum propago. Libero ac soluto pede procedit, neque ita male nonnullos Ovidii versus imitatur et sibi quasi vindicat.

Eodem autem tempore quo Juvencus et ceteri evangelicas Historias versuum metro subdebant, nonnulli alii quorum intercidere nomina, sacras Scripturas minime secuti, suo ingenio liberius indulgebant.

Hic nempe Christum summa cruce erectum et Christianos quasi alloquente in inducit¹, quanta pro homine passum, quo non exercitum dolore, cuius ignarum mali. Confidat igitur homo, tantaque inspiciens mala, humana pati discat, parique virtute dominas in corde libidines contineat, victorque coelestem auferat palmam. Sie Christi voce et exemplo Christianis animum addit poeta, et non indecoro carmine christiana disciplinae quasi succum exprimit.

Ille Deum canit², et quae in homines contulit beneficia, virentemque laudat vere redeunte terram, uvas nectare tumentes, flavamque per campos messem; alias, cuius ignoti nos diu latuerunt versus³, paganos,

¹ Anonymi: *De Passionne Domini*. Migne Patr. lat. t. vii.

² Anonymi: *De laudibus Domini*. ibid. t. xix.

³ Mommsen: *Carmen codicis Parisiensis*, 80-84. — *Revue*

quod a Theodosio debellati imperium tandem Christianis cessissent, pugnaci carmine insequitur. Virum quidem in Urbe paganis nuper principem, Flavium scilicet Monomachum incessit, eique spem vanam victosque sine certamine Deos jicit. Ille enim quum rebellanti Eugenio secundus Urbem contra Theodosium muniisset, eamque pristinis Numinibus quasi vindicandam majorum more lustrasset, tandem Alpes-tria per cacumina armis superatus, ultiro, ne christicolam Principem salutis auctorem haberet, voluntario obierat funere. Cui tamen, virtute hac et nobili letho haud motus, illudit poeta, eique turpes, quibus labrabat, mores exprobrat, casumque gravem irridet; at Camoenis deceptus crebro sermonis errore labitur, iramque suam parum stanti carmine effundit.

Alius Senatorem quemdam, qui, postquam Christi disciplinam amplexus esset, ad pristinos redierat errores, magno impetu prosequitur, ejusque versatilem animum haud inficete irridet¹.

Alius² etiam, magnificentia quadam et amplitudine

Archéologique, 9^e an. N^os vi, vii. Juin et Juillet 1868. — *Recherches sur un poème latin du IV^e siècle, retrouvé par M. Léopol Delisle.*

Ebert. *Litt. lat. chrét.*, p. 336 et seqq.

¹ Ebert : *Histoire de la littér. latine chrét.*, p. 337. Illud carmen immerito olim S. Cypriano adscribabant.

* Anonymi : *Triumphus Christi heroicus*. Patr. lat. I. xix. Hoc quidem carmen Juvenco olim assignatum ab anonymo tamen et ignoto quodam auctore conscriptum fateri oportet;

praecellens, Christum morte oppressum mortisque subito ululantia invadentem regna laudat. Quem quidem, si ad primos tantum respicias versus, paganum vatem esse credas. Solito enim poetarum vetero, Tartareisque, ut tunc mos erat, nugis primum inseriens, Plutonem ostendit infernosque proceres bellum intranti denunciantes. At mox stulta haec et insulsa respuens, seque vere christianum gerens, repantino canit inhorrentia lumina, Christo accedente, Tartara, eique pristinorum hominum occurrentes umbras describit. Quam tener et mollis veterem Adamum, cladis simul et salutis auctorem, ante pedes Christi adducit flentem, et juxta eum Judaicae stirpis patres Abraham et Jacob! Quam sublimis fortis, quibus diu eminuit Judaica gens, duces vocat, Josue scilicet primum, et longo ultimum ordine, non virtute, Macchabaeum Judam! At brevior quidem et festinans haec tanta maturius absolvit, carmenque longum sperantibus vix modicos versus praebet.

Quid nunc de Optatiano Porphyrio¹¹! Vix enim poetam eum dicimus qui industriam magnam sane, non ad proprium versuum leporem, non ad aptanda aequis fidibus carmina adhibuerit, sed ut litteras ipsas, quibus verba constant, insolenti quodam et obliquo disponeret ordine, et sic figuratas quasdam sive navis,

Juvenci enim orationis genus, lentumque in carmine gressum minime praebet.

¹¹ *Publii Optatiani Porphyrii Panegyricus Constantino Augusto dictus.* Patr. lat. tom. xix.

sive crucis aut arae describeret, junctisque ita inter se litteris nova etiam obtineret carmina. Quae quidem, quamvis apud Constantinum valuerint¹, ultro tamen irridiceremus, nisi a misero vate, ut ab iniquo exilio revocaretur, magno molimine, quasi altera Tristia, essent conscripta².

Non praetereundus Severus ille, qui, ut per rusticas gentes fidem christianam diffunderet, arrepta pestis occasione, quae pecudum fere omne straverat genus, disputantes inter se, Virgiliano more, pastores induxit, quorum alter amissa luget pecora desertaque stabula deflet, alter autem sua narrat virtute Christi impositaque fronti crucis signo a lue plane servata jumenta. In hoc autem pusillo poemate quot deprehendere est lepidos versus³! Quae inest elegans ingenuitas, quae interdum mentis humanae scientia, ut illum non Maronis tantum, sed etiam Theocriti fides mutuatum

¹ Constantini epistola ad Porphyrium. Patr. lat. t. xix.

² Nonnulla nugarum illarum exempla reperies in libro olim notissimo, qui inscribitur : *Lusuum poeticorum sylva, ad usum collegiorum societatis Jesu.* — Lemovicis, apud Ant. Barbou, 1652. Poteris et alia legere apud Rabanum Maurum, qui eadem ratione non cruces modo, sed etiam Christi e cruce pendentis imaginem, atque etiam alicubi monachi genibus nixi, et alia ejusmodi litteris depinxit.

³ Biblioth. Patr. : *Severi rhetoris et poetae christiani carmen bucolicum. Incipit carmen Severi Sancti, id est, endeleighi, rhetoris, de mortibus boum.*

fuisse credas¹. Quanta denique commiseratione commotus pecora depingit infanda lue morientia²!

Eodem ferme tempore Damasus³, summus apud Christianos Pontifex, pusilla scribebat epigrammata, sacellis ac praecipue Martyrum tumulis insculpenda, quorum pleraque lapsu temporis aut hominum injuria perierunt. Nonnulla autem a viro sagaci et eruditio nuper sub ruderibus et cryptarum ruinis inventa sunt⁴, quae, quamquam brevia ac saepe truncata, poe-

¹ Ægon. Quidnam solivagus, Bucule, tristia
Demissis graviter luminibus, gemis?
Cur manant lucrymis largis tuae genae?
Fac ut norit amans tui.

Buculus. Ægon, quaeso, sinas alta silentia
Ægris me penitus condere sensibus.
Nam vulnus reserat qui mala publicat;
Claudit qui tacitum premit.

Ægon. Contra est quam loqueris, recta nec autumas:
Nam divisa, minus sarcina fit gravis.
Et quidquid tegitur saevius incoquit.
Prodest sermo doloribus.

² Mater tristifico vulnere saucia
Ut vidi vituli condita lumina,
Mugitus iterans ac misere gemens,
Lapsa est, et voluit mori...
Tunc tanquam metuens ne sitis arida
Fauces opprimeret, sic quoque, dum jacet,
Admovit moriens ubera mortuo.

³ Biblioth. Patr : S. Damasi pontificis maximi, aliquot Sanctorum elogia. Vid. etiam Migne : Patrologie, t. xiii.

⁴ De Rossi : Roma sotterranea.

tam valde commendant. Sripsiit et alia carmina quibus aut Christum aut summos Pontifices meritis prosequitur laudibus. Ille etiam peculiari cuidam poesis generi inserviit, quod Ἀχρόστιχον apud Graecos dictum est, cujusque exemplum, ex Damaso ipso excerptum, proponere libet :

Iure pari regnat communis conditor ae*V*
Et cum patre pia regnat sublimis in arc*E*
Sidereo sanctis insidet numine regni*S*
Unde mare et terras solo videt omnia nut*U*
Suggerit humanis, et nova munera rebus

In isto quidem carmine peculiare id et insolitum animadvertisimus quod Christus non verbis tantum et ipsa carminis laude colitur, sed singulis etiam quibus versus incipiunt et desinunt litteris. Excerptas enim primas singulorum versuum litteras si inter se junxeris, has sensum reddere senties, et ex ista connexione nomen ipsum IESUS effingi; si vero ultimas, quibus desinit versuum series, litteras congregaveris, nec aliter inde existet IESUS¹.

Hoc autem compositionis genus potissimum probatur quum gentes ab honesta et recta dicendi via jam flectentes, sensuum gravitatem, sententiarum planitatem verborumque proprietatem quasi veterno inquinatas et antiquitatem redolentes fastidiunt, et putidum quoddam et praeposterum in dicendo genus, ambitiosamque et magno molimine elaboratam carminis

¹ Couret : *De sancti Damasi summi apud Christianos pontificis carminibus*. Gratianopoli, 1869.

figuram assuescunt exigere. Inde Optatianus ille Porphyrius, de quo supra jam locutus sum, aegre carmina struit quorum primas mediasque et ultimas consociat litteras quibus inter se congregatis versus novos praestet; inde, ut varias rerum figuras describat, Ausonius versus longos exiguis et brevibus subjecit, et sic carminis summa aut aram aut vexillum, aut fistulam describit. Inde etiam Turcius Asterius breve poema excudit de *Collatione veteris et novi Testamenti*, in quo carmine reciproco dimidium versus primi finem complectitur versus secundi, ut in sequentibus :

Unius ob meritum cuncti periere minores;

Salvantur cuncti unius ob meritum.

Sola fuit mulier patuit qua janua leto,

Et qua vita redit sola fuit mulier¹.

Nunc vero, postquam pusillos illos christianarum Camoenarum fetus ac poeticas nugas breviter recensuimus, ad alterum poesis genus veniamus quod lyricum, si libet, nuncupare possis. Antiquitus, immo ab Apostolorum temporibus, consueverant Christiani inter Sacra aut communia convivia οὐνος seu φῶτα canere². Qui quidem usus, ab Orientis ecclesiis primum usurpatus, sero tantum apud nos invaluit. Pri-

¹ Hoc carmen Sedulio a nonnullis adscriptum est. Vid. *Bibl. Patr.*, an 1589, p. 678.

² Beat. Paul. Apost. epist. ad Ephes. V, 17 et seqq.; epist. ad Colos. III, 15 et seqq.

Vid. etiam Ebert. op. cit. p. 186.

mus omnium dicitur Hilarius, Pictaviensis episcopus, cantus ejusmodi seu hymnos composuisse, quo melius haereticos ac praesertim Arianos impugnaret, qui suam doctrinam hoc scriptorum genere per populum ab initio diffundere conati erant. Cujus exemplum secutus est Ambrosius, Mediolani inclytissimus episcopus. Ille enim, quum ab Arianis ac praesertim Valentianino secundo et ejus matre Justina graviter exagitaretur, breves quoque scripsit hymnos, quos inter Sacra certatim cantari jussit, quibusque plebs et accendetur et in vera confirmaretur fide¹. Qui quidem hymni tanto omnium favore accepti sunt, ut, amissis generis sui proprio nomine, *Ambrosiani* simpliciter dicti fuerint. Mox vero in omnibus sive Italiae, sive Galliae sive etiam totius Occidentis ecclesiis a populo cleroque vicissim inter Sacra celebrari coepti sunt.

Ex multis autem hymnis, quos Ambrosianos vocant, quatuor tantum Mediolanensi episcopo, omnium assentione, merito adscribi possunt². Pusilla quidem illa carmina, dimetris iambicis conscripta, horatianam aetatem plane redolent, poetamque valde commendant, qui, servata omnino veterum quantitate, hiatum respuit nec spondeum nisi primo et interdum tertio pede

¹ « Hymnorum quoque meorum carminibus, ait Ambrosius, deceptum populum ferunt. Plane nec hoc abnuo. Grande carmen istud est, quo nihil potentius... »

² En eos, quibus incipiunt, versus : *Deus, creator omnium* — *Aeterne rerum conditor* — *Jam surgit hora tertia* — *Veni, Redemptor omnium*.

admittit. Quare si ad effigiem carminis et sermonis supellectilem respicias paganum vatem versare putas, si vero ad res ipsas et sententias, christianum facile deprehendas. Apud eum enim natura, non jam, ut apud veteres, sui juris est, sed Dei quasi ancilla; ea homo uti debet ut melior evadat, aeternamque salutem consequatur. Contra autem nititur diabolus, qui divina quadam licentia, eam aliquantis per sibi subjicere potest, ut hominum genus pessum det. Inde pugna illa inter vitia et virtutes hominum semper vivax; inde figuratae illae sententiae quibus Christum splendore lucis, diabolum vero noctis caligine adunbrat¹. Sic postea naturam allegorice interpretabuntur poetae christiani, ac praesertim Prudentius², qui paulo post Ambrosii tempora floruit.

Ille quidem, postquam adolescentiam et juventutem, quum profanis litteris indulgeret, incontinenter egisset³, septimum et quinquagesimum annum agens, ad

¹ Vid. Ebert, loc. cit. p. 198 et seqq.

² « Est autem hominis vere pii, ait Prudentii commentator quidam, nihil non vertere in occasionem pietatis. Itaque Prudentius, quod a Solstitio brumali dies incipiunt crescere, torquet ad conjecturam pueri Jesu jam properantis ad exortum... Quoniam vero in rebus divinis nil fortuito geritur, non sine causa tempus hoc anni delectum est Nativitatis Jesu, etc. »

³ Quod ipse dolet in prooemio Cathemerinon :
Tum lasciva protervitas
Et luxus petulans (heu pudet, ac piget)!
Foedavit juvenem nequitiae sordibus ac luto.

cultum Dei se contulit, resque ecclesiasticas vario metrorum genere coepit componere, moramque velocitate ita pensavit, ut decem millia versuum et amplius scripserit¹. Eminet in illo vis quaedam ingenii grandis quidem et sublimis qua per ardua Christianorum dogmata fertur, et de maximis, quibus hominum mens exagitatur, arcanis disputat². Praeclaris enim carminibus aut Christum quod vere sit Deus confirmat³, aut ea, quae humano generi insident mala, unde erumpant, exquirit⁴, aut etiam, postquam iis illuserit qui marmorea Numinia colerent, quasi in sublime raptus, ex alto, ut nuper apud nos Bossuetius, romanam molem prospicit urbium et gentium ruinis conflatam et auctam, quo, pacato orbe et domito, facilius populos christianam fidem Apostoli doceant⁵. Nec tamen ei defuerunt obtrectatores quibus in solita rhetoribus vitia saepius incidisse visus est. Interdum enim inflatus et tumens supraque modum exsultans studia nostra ficto impetu et ardore quaesito restinguat, aut otiosus et superfluens, nec satis pressus, hianti compositione et narrationis lentitudine et teperc nos in languorem vertit. Quae quidem vitia, etsi merito

¹ Vid. *Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum*, vol. x. Sedulius; edidit Huemer.

² *Hamartigenia*.

³ *Apotheosis*.

⁴ *Psychomachia*.

⁵ *Contra Symmachum*.



ei exprobraveris, non officiunt quominus poetarum christianorum facile sit princeps.

Quod autem ad hymnos¹ attinet, certum est Prudentium illos ad imitationem Ambrosii conscripsisse². Utriusque tamen si carmina contuleris, statim apprehendes Prudentiana multo longiora esse, quippe quae centum et saepe ducentos versus contineant. Hinc liquet Prudentium sua non eo consilio scripsisse ut a Christianis inter Sacra vicissim canerentur, sed potius ut a doctis viris per otium legerentur. Quamobrem postea nonnisi truncata et quasi per partes in ecclesiis celebrata sunt.

Nec tantum hymnis et modulatis cantibus, qui plebem potissimum delectabant, sed prolati, atque, ut ita dicam, didascalicis carminibus pravos haereti-

¹ *Cathemerinon et Peristephanon.*

² Plerique enim, ut Ambrosiani, dimetris iambicis constant. Qua autem ratione hoc carminis genus imprimis usurpaverint christiani poetae, sic docet Prudentii commentator: « Carmen iambicum primum convitiis repertum est, quod brevis syllaba addita longae, velut exprimat ictum ferientis ac subinde repetentis... Ambrosius hoc genere potissimum est delectatus, in quo illud a nobis observatur quod plerumque *Pentemimerim* finit dictionem, et ab hac dictio trisyllaba claudit dimetrum. Quae compositio carmen facit molissimum, ut *Deus Creator*, haec est pentemimeris; sequitur dactylica *omnium*; rursus *polique rector*, sequitur *vestiens*. Item *diem decoro*, sequitur *lumine*. Rursus *noctem soporis*, sequitur *gratia*. Id frequentius fit apud Ambrosium quam ut casus videri possit. Nec infrequeiter idem observat nos-ter Prudentius... »

corum errores confutabant christiani poetae. Ejus generis est poema quoddam, quod sub an. 430 scripsit S. Prosper Aquitanus¹, ut Pelagii haeresim, quae apud Gallos, favente Cassiano, haud mediocri viro, paulatim invaluerat, impugnaret. Quod quidem poema de *Ingratis* inscripsit, non modo quod beneficiorum divinorum immemores fuissent haeretici, sed etiam quod *gratiam* Dei ultro spernerent².

Hunc, cuius vestigia postea secutus est, valde laudavit Racinii magni filius in poemate suo qui inscribitur *La Grâce*³. At ejus laudibus plane assentari non possumus. Namque si Aquitano vati non deest vis quaedam et impetus in dicendo, abest prorsus poetica dictio, neque aliud nisi litem theologicam duris nec bene comptis enarravit versibus⁴.

Ad hoc carminum genus pertinet *Commonitorium Orientii*⁵, qui pelagianam quoque haeresim oblique

* *S. Prosperi Aquitani opera omnia ad mss. codd. etc.* — Ed. Le Brun et Mangeaut. Paris, 1711.

² Quod hene indicat graecus titulus περὶ ἀγάπητων.

³ Disciple d'Augustin et marchant sur sa trace,
Prosper s'unît à lui pour défendre la grâce.
Il poursuivit l'erreur dans ses derniers détours,
Et contre elle des vers emprunta le secours.
Les vers servent aux saints : la vive poésie
Fait triompher la foi, et trembler l'hérésie.

⁴ Vid. Ebert, op. cit. p. 390.

⁵ *Orientii carmina* recensuit et commentario critico instruxit Robinson Ellis.
Corpus script. eccl. Poetae chr. min. vol. xvi, p. 204.

perstrinxisse mihi videtur¹. Hunc laudat Barthius propter eloquii vim et concisam brevitatem nec non et sententiarum planitatem. Verum, me judice, narrat potius quam canit, neque unquam poetico quodam impetu ad grandia assurgit, sed depresso semper humili jacet.

Desinente autem quarto saeculo novum ortum erat poesis genus, quod Christianis Camoenis proprium est. Hoc enim tempore multum, ut in sequenti capite fusius dicetur, a pristinis moribus desciverant Christiani, ardente illi in Deum amori, quo antea feras et romanae plebis iras impavidi sustinuerant, paulatim, securis tandem rebus, successerant inertia quaedam et vitae mollities, immo et incredula mens, ut ex iis nonnullos ambigas christicolasne an paganos vocaveris. Ex his Ausonius rhetor quem, dum orat, christicolam fortasse, dum vero canit, paganum certe appellare possis, cuique etiam accidit (quod christianum hominem minime decebat) ut sordidos omnique vituperatione dignos, excerptis in spurcam significationem e Virgilio versibus, centones scriberet. Ex his alii multi qui, post actam per omnigenas voluptates juventutem, favente subito Dei gratia, quod vitae reliquum erat, in christianarum tandem exercitatione virtutum insumebant, quibusque, quum ab adolescentia profanas Musas excoluisserint, quasi necesse erat pristino indul-

Si monitis gradiare meis, fidissime lector,
Caerula securus colla premis colubri. Lib. II, v. 1-2.
Pelagius autem a Prospero Aquitano *coluber Britannus*
vocatur in carmine *de Ingratis*, cap. 1. 2.

gere genio, atque antiqua, ut ait hodiernus poeta,
novis sententiis excudere carmina.

Quum autem ea quae ad Evangelium et sacras
Scripturas et Apostolorum actus pertinerent (quae
totam quasi compagem christianaे religionis consti-
tuunt) multis jam carminibus celebrata essent, ab illa
simplici tritaque via deflectere nonnulli, atque alias
materiem quaerere, quam fidibus suis aptarent, haud
dubitaverunt.

Inde, ineunte quinto saeculo, novum illud poetarum
christianorum genus, quorum alii, ut Paulinus Nola-
nus, et, paulo post, Paulinus Petrocorius, sanctorum
vitas gestaque virorum poesis leporibus exornare, alii,
ut Paulinus Pellaeus, suam vitam suaque tempora des-
cribere sunt aggressi.

Paulinus quidem Nolanus, inclytissimo loco natus,
praeceptorem habuit Ausonium, omnibusque ab illo
bonis artibus ac litteris eruditus est, quibus, teste ma-
gistro, nonnihil laudis jam adeptus erat. Christianam
autem posteaquam disciplinam amplexus est, et ad
Nolanam sedem, cogente populo, evectus, suo nihilo-
minus poesis studio incubuit, novosque illos sensus,
quibus christianus vir afficiebatur, versibus exprimere
conatus est. Ejus extant multae epistolae sive ad Au-
sonium praeceptorem, quem, quanquam contraria
profitentem, singulari amicitia semper prosecutus est,
sive ad Sulpitium Severum ⁴, sive ad alios conspicuos
hoc tempore viros. Ex ejus autem scriptis praincipua

⁴ Vid. cap. seq. in quo fusius de Sulpitio Severo disseritur.

sunt *Carmina Natalitia*, quae in honorem S. Felicis, Mediolanensis olim episcopi, scripsit, quibusque excudendis quatuordecim annos consumpsit. Hoc impri-
mis commendatur, quod primus inter christianos
poetas vitam viri, virtutibus et miraculis conspicui,
metro describere tentavit. Illi autem insuper, si
Hieronymo fidem adhibeas ¹, magnum fuit ingenium,
et infinita sermonis supplex, facilitasque et puritas
mixta prudentiae. Ejus autem poeticæ litteræ, si
rursus Augustino credas ², lac et inel fluebant. At,
reipsa, ex sua prima institutione hauserat nescio
quam eloquii venustatem nec non elegantiam in dicendo
quae nunquam non eminent in ejus carminibus. Non
desunt tamen quibus elaborata nimis et affectata viden-
tur ejus opera.

Quid nunc de Paulino Pellaeo, ejusdem Ausonii, ut
ferunt, pronepote? Sed vix poeta nuncupari potest.
Illud enim quod magno conamine excudit *Eucharis-
ticon*³ carmen, historicis quidem studiis utilissimum,
sed asperis et quasi saxosis constans versibus, nil poe-
tici decoris retinet. Ejus autem sermo barbarus est,
barbaris plane dignus hominibus quorum in medio
scriptus est, quorumque rudes loquendi formas rauca-
que murmura referre videtur.

¹ *Epist. XIII de institutione monachi.*

² *Epist. xxxii ad Paulinum.*

³ Id est gratiarum actio tum pro bonis quibus Deus eum
primum cumulaverat, tum pro malis praecipue quibus pos-
tea usus est, ut depravatum ad sanctam adduceret vitam.

Ejus autem vita parum nota est, quamvis in gravissimis ejus temporis perturbationibus versatus, et non-nihil famae adeptus, quum aliquantis per Comes privatarum largitionum fuerit. Quam nos paulo fusius exponere haud inutile visum est, quoniam sive huic, sive filio aut fratri ejus nonnulli¹ poema Petrocorii Paulini adscribere voluerunt.

Circa annum 376 natus est in Aquitania, aut potius, ut communis opinio est, Pellae, in Macedonia, unde Pellaeus dictus est. Id illi maximae laudi vertitur quod avum habuerit Ausonium². Hesperio enim, Ausonii filio et Africæ proconsule natus dicitur. Tres vix egerat annos quum Carthagine Romam delatus est, Burdigalæque cum patre consedit. Ibi vero, quasi in

¹ Inter quos Barthius : *Observ. ad Paulin. Petroc. lib. iv. v. 104.*

² Cui opinioni, quam primum Sirmondus exposuit, quamque postea Barthius et omnes qui de Paulino Pellaeo scripsero secuti sunt, non assentatur Ebert (*Histoire de la littérature latine chrétienne*, p. 433. not. 1). Sed errare mihi videatur, ut et de Paulino Petrocorio haud semel erravit. — « Qu'il nous suffise de remarquer, inquit, que, d'après la donnée de Paulin, son grand-père était consul, alors qu'il n'avait lui-même que trois ans; Ausone aurait donc dû être consul en 385, d'après la chronologie de la vie du poète; or, il le fut en 379. » — At, si Paulinum Pellaeum circa annum 376, ut communis opinio est, non autem circa annum 382, ut sine causa vult Ebert, natum esse supponas, omnino tollitur difficultas, quam ex temporum concordia oriri contendit. Vid. Reboul : *Paulin le Pénitent, étude historique et littéraire*. Paris, Firmin Didot. Vid. et. Baron. An. t. v, p. 259.

gremio amantissimae familiae, diligent cura omnibus artibus eruditus est, quibus generosi juvenes erant expoliti. Quae quidem fuso quodam et inani rerum specie magis quam disciplinae pondere commendantur : in venatu enim equorumque et canum exercitationibus tempus consumebat, cuius perparum seriis relinquebatur studiis. Nos miseret ejus levitatis, quum in cogitationem venit jam tum ad fines imperii fremere barbaros, quibus obviam nonnisi dissoluti deliciis animi et ad jugum paratae cervices.

Porro huic Paulino, ut ait Baronius², duo incidere parum digna nobilitate sua, quorum alterum excusat, alterum purgavit poenitentia. Etenim conspirationis cum Attalo tyranno suspicione laboravit, quod ab eo, quum imperaret, creatus fuerit Comes privatarum largitionum, cuius rei hanc ipse excusationem affert in Eucharistico carmine :

Attalus absentem casso honerarat honoris
Nomine, privatae comitivam largitionis
Dans mihi, quum sciret nullo subsistere censu,

et paulo post :

Unde ego non partes infirmi omnino tyranni,
Sed Gothicam fateor pacem me esse secutum.

Alterum vero, quod perperam factum diluit poenitentia, illud fuit quod ad improbata fidei dogmata

² An. t. v.

christianus homo diverterat, ut ipse in eodem carmine fatetur :

Errorum discendo vias per dogmata prava,
Quae reprobans sociata aliis nunc respuo culpis.

Illud autem Paulino laudi narratur, quod, quum deleta Burdigala, amissoque patrimonio¹, profugus cum suis Vasatas² concessisset, urbem hanc a barbarorum spoliatione, vitae periculo, liberavit. Quum enim Alani et Gothi oppidum junctis viribus urgerent, atque incolae in eo jam essent ut infestis hostibus se tradarent, Paulinus, in castra eorum noctu clam ingressus, Alanorum regi³ suasit ut a sociis deficeret traditamque urbem contra eos defendeteret. Quo factum est ut Gothi ab obsidione mox desisterent.

Brevi post tempore suos fere omnes amisit Paulinus, matrem nempe et uxorem et duos quos ab ea suscepserat filios. Summa tum desperatione affectus, funesta haec loca reliquit, Massiliamque se recepit, ubi excoelendo agello aliquantis per vixit. Burdigalam deinde reversus est, ibique Eucharisticon carmen scripsit, et, quod vitae reliquum fuit, in omnibus quae ad poenitentiam pertinent exercitationibus transegit, unde et *Poenitens* nuncupatus est. Magno natu obiit circa annum 460.

¹ Cunctis quippe bonis propriis, patriaeque superstes

² Obsidio hostilis vicina exceptit in urbe
Vasatis, patria majorum et ipsa meorum.

³ « Rex ille quem adiit Paulinus Goar esse putatur. » Dom Bouquet.

Eucharisticon vel levi cura versanti primo adspectu patet hunc Paulinum non esse auctorem poematis de Vita S. Martini. Longe enim alia est dicendi phrasis, nec non versuum modulatio. Quod quum intellicherent critici nonnulli censuerunt auctorem poematis alii esse filium, alii fratrem ejusdem Paulini. Omnes autem erravere. Ille enim in Eucharistico suo apertis declarat verbis duos tantum sibi fuisse filios, quorum unus presbyter fuit, amboque ante ipsum non jam matura aetate decessos. Eadem autem Paulino duo fratres et una soror fuere; ex fratribus vero unus Pastor vocabatur, primaque in infantia obiit ante Ausonium ipsum, qui eum in undecima Parentali dellevit¹. Alterautem, ut ex Eucharistico conjiciendum est, malus filius et improbus frater fuit, qui, quum testamentum matris impugnavisset, illudque rescindi voluisset, a fratre magna vi et eloquentia repulsus est. Nefario illi homini nil priorsus commune est cum Paulino nostro, cujus vitam, quantum ex indiciorum penuria licet, descripturus sum.

§ II. — Paulini Petrocorii vitam describere aggredienti plurima sunt obstacula, tum quod nemo est inter auctores ejusdem aut subsequentis aetatis qui aut ad eum sese referat, aut quibusdam ejus poematis locis utatur, qua data occasione, aliquid sane

¹ Tu quoque maturos, puer immature, dolores
Irrumpis moesti luctus acerbus avi,
Pastor, clare nepos, spes cujus, certa fuit res,
Hesperii patris tertia progenies.

de ipso poeta dixisset, tum quod apud hodiernos, vel apud Sirmondum ipsum, nil nisi breviorem nominis appellationem invenias. Conjecturis igitur plus minusve certis et callide deductis utamur necesse est, atque saepissime ab ipso poemate, hoc est ab ipso poematis auctore petendum quidquid de ejus vita moribusque dicere licet. Accidit autem ut poeta noster, Pellaeo plane dissimilis, de se ipso rarissime, tantaque verborum brevitate loquatur, ut eum ex consulto fecisse credas, quasi crucem posteris finxisse voluisset.

Non ita tamen propositi sui interdum tenax est, ut hinc illincque non eruamus unde suspicari possimus quae vitae ejus fuerint praecipua momenta, qua vixerit aetate, quibusque obnoxius tempestatibus.

In Gallia quidem natus est Paulinus. Hoc etenim evidentissime patebit, si attendas illum, quoties vox *Gallia* aut *Galli* occurrit, nunquam praetermittere quin statim illam *nosta* vel *nostri* praeponat, ut in sequentibus versibus :

Ille ergo in totum cui par miseratio mundum
Sevit et in *nostris* miracula plurima *terris*,
Donans extremis Martini insignia *Gallis*¹,
et alias, ubi de oris Galliae agitur, ut ex contextione
deprehendere est,

Hic primus *nostris* Martinus prodidit *oris*².

¹ Lib. i, V. P. 8 et seqq.

² Lib. i, V. 364 — P. 363.

Vesunnici rhetoris filius creditur¹, cuius cum laude forsitan meminit Sidonius Apollinaris in quindecima libri octavi ad Lupum epistolā². « Et si a te instructio rhetorica poscatur, hi *Paulinum*, illi Aleimum non requirunt ».

Eidem etiam Paulino, poetae nostri genitori, rursus forsitan alludit in *Carmine primo* :

Sed ne tu mihi comparare tentes
Quos multo minor ipse plus adoro
Paulinum, Ampeliumque Symmachumque³.

Cui quidem diei, immo et anno natales ejus referendi sint, quum haud facile sit certis argumentis sta-

¹ Observatum est, in editione Jureti, cuius titulum supra retuli, extare grandem litteram B ante nomen Paulini. Quum autem id poema Nolano olim adscriberent, hanc primam esse subauditae vocis *Beati* merito credebant. Editio autem *Bibliothecae Patrum* anni 1624, quae Baronii Sirmondique animadversiones secuta est, eam omisit. Postea vero Savaro (*in Sidon-Apoll. lib. 8, ep. 12.*) Barthiusque (*Advers. lib. xiv, C. 8*) et Fabricius (*Biblioth. med. et inf. lat. t. v*) eamdem B litteram primam esse vocis *Benedicti*, poetae nostri praenominis, contenderunt. Quae autem ridicula opinio a Benedictinis (*Hist. litt. t. II, p. 469*) confutata est.

² Baret : *Nouvelle édition des Œuvres de Sidoine Apollinaire* — Quem quum commentatur locum Sirmondus in peculiari sua operum Sidonii editione huic cognationi minime alludit : « *De Paulino*, inquit, quemnam dicam, minime compertum; nam praeter Nolanum plures alii scriptis etiam suis noti saeculo Sidoniano ».

³ *Excusatorium ad v. c. Felicem.*

bilire, non multum tatem erret, me judice, qui observata temporum ratione poematisque dispositione, ad annum quadringentesimum, sed infra potius quam ultra, natum dicat Paulinum Petrocorium.

Quum enim in sexto poematis libro, Perpetuum quidem, qui Turonensem sedem non ante annum 461 occupavit, episcopum jam designet, Aegidium autem ¹, qui anno obiit 464, adhuc viventem inducat, certum est ejus poema aut saltem sextum poematis librum ad annum quadringentesimum sexagesimum secundum aut tertium scriptum fuisse.

In pusillo autem poemate, quod de Nopotulo suo, mira quadam Martini virtute ad sanitatem revocato, postea composuit, jam queritur de proiecta sua aetate, qua animi corporisque vires quasi hebetantur, Deumque precatur ut senectuti soveat eamque soletur².

* Lib. vi. v. p. 113 et seqq.

Ægidium hostilis vallaverat agmine multo
Obsidio....

Urbem quidem non designat Paulinus. Credunt vero scriptores hic agi de Arelatis, quas, Theodorico duce, obsedere Visigothi, neque huic opinioni repugnant quae poeta de situ urbis depinxit,

Praecipitem Rhodanum molli quae ponte subegit,
Et junxit geminas connexo tramite ripas.

Hanc obsidionem ad annum 459 referunt Moreri (*Dict. t. v, p. 158*) et Valois (*Rerum Francicarum, lib. iv*); melius vero ad annum 462 Dubos (*Hist. crit. de la Monarchie Française*) et Henri Martin (t. i. p. 384).

* *De visitatione Nepotuli sui* V. P. 20 et 79.

Existimandum est igitur illum ad minus tum sexaginta aut sexaginta quinque annos natum esse, praesertim si animadverteris illi jam nepotulum fuisse matrimonii capacem. Quamobrem natales ejus ad annum 400 aut paulo inferius retuli¹.

Nec minus incertum est quo anno decesserit Paulinus. Attamen haud dubium est quin ultra annum 470 suam produxerit aetatem, quum eodem hoc anno illi et Sidonio Apollinari siberet Perpetuus, episcopus Turonensis, epigrammata petens S. Martini tumulo insculpenda. Sed creditur, haud sine magna veritatis suspicione, illum ad octoginta annos natum, anno 476 aut 477, decessisse.

Quae Paulini vita fuerit per longum istud octoginta fere annorum spatium si quis suspicari velit, exploranda sunt, ut iam dixi, ejus carmina, atque ex iis eruenda indicia quae invitus, et quasi obliqua via parce tradit.

Haud quidem dubium est quin Paulinus, sive eum

¹ Quod autem ad poematis scriptionem attinet, annum indicat 461 Alban Butler (*Vies des martyrs et des autres principaux saints, tirées des actes originaux etc.* Tolosae, ap. Broulhiet 1808, t. XI, p. 84). Annum etiam 472 reperimus in opere « *Les vies des saints composées sur ce qui nous est resté de plus authentique etc.* Parisiis ap. Herissant an. 1739, t. VII, p. 455.) Nostrae vero sententiae accedere videtur in magno ac splendido suo de Martini opere Lecoy de la Marche (*S^t-Martin. Turon.* ap. Mame 1881 p. 614, not. 3) : « *Cet auteur, longtemps confondu et dès le VI^e siècle avec son homonyme S^t-Paulin de Nole (erreur reproduite encore par Qothast) écrivait vers 465. »*

bilire, non multum tatem erret, me judice, qui observata temporum ratione poematisque dispositione, ad annum quadringentesimum, sed infra potius quam ultra, natum dicat Paulinum Petrocorium.

Quum enim in sexto poematis libro, Perpetuum quidem, qui Turonensem sedem non ante annum 461 occupavit, episcopum jam designet, Aegidium autem ¹, qui anno obiit 464, adhuc viventem inducat, certum est ejus poema aut saltem sextum poematis librum ad annum quadringentesimum sexagesimum secundum aut tertium scriptum fuisse.

In pusillo autem poemate, quod de Nopotulo suo, mira quadam Martini virtute ad sanitatem revocato, postea composuit, jam queritur de provecta sua aetate, qua animi corporisque vires quasi hebetantur, Deumque precatur ut senectuti foveat eamque soletur².

¹ Lib. vi. V. P. 443 et seqq.

Ægidium hostilis vallaverat agmine multo
Obsidio....

Urbem quidem non designat Paulinus. Credunt vero scriptores hic agi de Arelatis, quas, Theodorico duce, obsedere Visigothi, neque huic opinioni repugnant quae poeta de situ urbis depinxit,

Praecipitem Rhodanum molli quae ponte subegit,
Et junxit geminas connexo tramite ripas.

Hanc obsidionem ad annum 459 referunt Moreri (*Dict. t. v, p. 158*) et Valois (*Rerum Francicarum, lib. iv*); melius vero ad annum 462 Dubos (*Hist. crit. de la Monarchie Française*) et Henri Martin (t. i. p. 384).

* *De visitatione Nepotuli sui* V. P. 20 et 79.

Existimandum est igitur illum ad minus tum sexaginta aut sexaginta quinque annos natum esse, praesertim si animadverteris illi jam nepotulum fuisse matrimonii capacem. Quamobrem natales ejus ad annum 400 aut paulo inferius retuli¹.

Nec minus incertum est quo anno decesserit Paulinus. Attamen haud dubium est quin ultra annum 470 suam produxerit aetatem, quum eodem hoc anno illi et Sidonio Apollinari scriberet Perpetuus, episcopus Turonensis, epigrammata petens S. Martini tumulo insculpenda. Sed creditur, haud sine magna veritatis suspicione, illum ad octoginta annos natum, anno 476 aut 477, decessisse.

Quae Paulini vita fuerit per longum istud octoginta fere annorum spatium si quis suspicari velit, exploranda sunt, ut jam dixi, ejus carmina, atque ex iis eruenda indicia quae invitus, et quasi obliqua via parce tradit.

Haud quidem dubium est quin Paulinus, sive eum

¹ Quod autem ad poematis scriptionem attinet, annum indicat 461 Alban Butler (*Vies des martyrs et des autres principaux saints, tirées des actes originaux etc.* Tolosae, ap. Broulhiet 1808, t. xi. p. 84). Annum etiam 472 reperimus in opere « *Les vies des saints composées sur ce qui nous est resté de plus authentique etc.* Parisiis ap. Herissant an. 1739. t. VII. p. 455.) Nostrae vero sententiae accedere videtur in magno ac splendido suo de Martini opere Lecoy de la Marche (*S^t-Martin. Turon.* ap. Mame 1881 p. 614. not. 3) : « Cet auteur, longtemps confondu et dès le VI^e siècle avec son homonyme S^t-Paulin de Nole (erreur reproduite encore par Qothast) écrivait vers 465. »

Petrocorio rhetore, sive alio haud ignobili loco genitum dicas, omnibus imbutus fuerit studiis, quibus eo tempore nobilissimi juvenes in rhetorum scholis erant expoliti. Ac primum, ut videtur, evolvendis veterum ac praesertim Virgilii, cuius vestigia in ejus poemate saepissime occurrunt, operibus incubuit, excolendisque profanis Musis haud semel per juventutem indulxit. Quae autem lucubrationes haud aliae prorsus erant ac illae quas apud poetas ejus aetatis deprehendimus. Rursus sane easdem narrationes refricavit, eademque mendacia jam ab Ausonio et Claudio et multis aliis sexcenties contrita, atque ex verterno paganorum armamentario omnes illas eruit putidas obsoletasque fabulas, quae stomachum Juvenali olim movebant, pugnas Deorum scilicet contra Gigantes, Herculis labores prandiumque Atrei et Vulcani fornaces, ovum Leda, Castaliasque fontes¹ et Apollinis oracula et novem plectra Sororum². Has autem nugas et deliramenta apud Ausonium, immo et Sidonium Apollinarem legenti in cogitationem venit quam sterilis et vacua facta esset latina Musa, quantumque a patre ingenio degenerasset romana societas, apud quam omnia jam cantata et decantata erant, omnia penitus exhausta, quaeque nil sensuum aut sententiarum novi poetis suppeditare poterat. Quarum stultarum lucubrationum valde postea poenituit Paulinum nos-

¹ Lib. iv. v. P. 252 et seqq.

² Lib. vi. v. P. 338 et seqq.


trum, qui dolorem suum acerbis haud semel expressit versibus.

Christianum fuisse a prima juventute Paulinum Petrocorium quum ex nonnullis aliis tum praecipue ex versu 641 libri V conjicimus, in quo dicit se semel atque iterum salutis suae fuisse oblitum. Non enim, ut videtur, si paganus diu fuisset, salutis suae, quam non novisset, oblivisci potuisset.

Salutis quidem primum innemor fuit, quum iis se daret voluptatibus, quibus indulgere solebant illorum temporum plerique juvenes, quasque ipse postea lugens « mala gaudia carnis » nuncapavit. Vix etenim credibile est quam pravis moribus essent ejus aetatis homines, quantumque, exundantibus undique vitiis, ipsi Christiani a pristina descivissent disciplina. Severi quidem testimonium suo loco postea proferemus. Nunc vero Salvianum audi¹, Massiliensem episcopum, qui vivebat illis temporibus, ob oculos habens quae ab oculis jugiter lacrymas executerent². « Praeter paucissimos quosdam, ait, qui mala fugiunt, quid est aliud omnis coetus Christianorum quam sentina vitiorum? Quotum enim quemque invenies aut non helluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem, aut latronem aut homicidam? Additque eo nequitiae prope omnem venisse Ecclesiae plebem, ut apud Christianos genus quoddam sanctitatis esset, minus esse vitiosum! Nec suis Aqui-

¹ Salv. *de rect. judic.* lib. 6 et 67.

² Baron. *Ann. t. v.*



tanis parcit, qui, ut dicit, sicut divitiis primi fuere, sic vitiis. « Apud Aquitanos vero quae civitas in locupletissima ac nobilissima sui parte non quasi lupanar fuit? Quis potentum ac divitum non in luto libidinis vixit? Quis non se barathro sordidissimae colluvionis immersit ¹? » Sed haec satis ad insinuandam horum temporum corruptelam ².

Ne igitur miremur si Paulinus Petrocorius illo turpitudinis quasi publico turbine correptus fuerit, atque vitiis indulserit quibus indulgebant omnes,

...Immergens rapido sua crimina saeclo ³.

Ex his autem vitiis aliquantis per non emersisse videtur, nisi ut in graviora incideret, quippe quae et mores et fidem catholicam corrumperent. Valde enim suspicor illum turpibus Priscillianistarum haeresibus implicitum fuisse. Etenim testificatione Severi et aliorum comperimus in ea provincia clarissimos viros ac feminas a Priscilliano et ejus fautoribus fuisse seductos. Jam ab anno 381 paulatim invaluerat, Gal-

¹ Salv. *de rect. judic.* lib. 67. « Equi enim emissarii (ut Scriptura ait) in feminas facti sunt : unusquisque ad uxorem proximi inhiabat... »

² Haec Claudio Marius Victor de corruptis moribus sui temporis :

Nil sanctum est nobis nisi quoestus, et illud honestum

Utile quod fuerit, vitiisque vocabula recti

Indimus...

Sed levis est vestra vitiorum morbus in urbe

Si non feminei magis exercere furores, etc...

³ Lib. v. — Edd. V. p. 639.

liasque ac praesertim Aquitaniam invaserat pessimus error ille, cuius auctor erat Priscilianus, hispanus vir, a Gnosticis institutus. Qui quidem, familia nobilis, praedives opibus, acer ingenio, facundus, disserendi ac disputandi promptissimus, multos nobilium pluresque de plebe auctoritate persuadendi, et arte blandiendi allexerat in societatem. Ad hoc, mulieres novarum rerum cupidae, fluxa fide, et ad omnia curioso ingenio, catervatim ad eum confluebant. Ad hoc etiam, voluptatum lenocinia plerosque capiebant. Priscilianus enim, offusis tenebris, cuncta quae unquam excoigitari possent cum suis quas seduxisset feminis turpiter operabatur¹, atque haec in suis dogmatibus habebat :

Jura perjura, secretum prodere noli.

Eius autem sectatores testatur Hieronymus cum solis claudi solitos esse mulieribus et versus illos inter amplexus canere :

Tum pater omnipotens foecundis imbris aether
Conjugis in gremium late descendit, et omnes
Magnus alit magno commixtus corpore foetus².

Quas vero contaminationes et turpitudines exosus postea Paulinus « porcorum escas³ » merito vocavit. Adde quod eodem loco Martinum exorat ut sibi, relic-

¹ August. *Retract.* lib. II. cap 44.

² Georg. 2.

³ Lib. II, V. 647, P. 641.

tis tandem voluptatibus, « veram fidem » praestet¹. Vera autem fides non peccatis, sed haeresibus amittitur, hancque non expostulasset Paulinus, si semper probatis Ecclesiae dogmatibus assensisset. Sic alter alteri versus quasi facem admovet.

Paulino autem unum aut plures fuisse fratres certum est. Versu enim 648 libri secundi² innuit partitionem quamdam fuisse hereditatis paternae. Quot autem et qui fueriut, minime compertum.

Nec minus certum est illum, postquam patrimonium suum, quum liberius viveret, magna ex parte jam mutilasset, quod reliquum esset subita clade amisisse. « Eversum » enim « censem » asserit, barbaris prorsus alludens quorum colluvies ab anno 406 Gallias ad radices usque depasta est. Ultimo enim hujus anni die³, Vuandali et Alani cum aliis barbaris trans Rhenum copias ad Gallias depopulandas perduxere. Annis autem sequentibus Hispaniae ipsae a Constantino tyranno, occisis Didymo et Veriniano fratribus, cognatis Honorii imperatoris qui Hispanias tutabantur, in praemium datae sunt barbaris depraedandae⁴. Alii,

¹ Lib. II. V. 548, P. 642.

Acciperem verae signacula certa fidei.

Vid. etiam, lib. V, 644. Edd. V. et P.

² L. II, V. 648, P. 639.

Et post eversum dederat quem portio censem.

³ Oros. lib. VII, c. 38. Zosim. lib. VI.

⁴ Oros. lib. VII, c. 40, an. 409.

Alarico duce, Romam obsedere, quumque obsidio arctior esset, fame pesteque vexato populo, interclusis omnibus commeatibus, vi adacti sunt Romani, ut auro pacem redimere quaeritarent. Rursus autem, anno 412, Goths ab Italia recedentes, sub Athaulpho rege Gallias invaserunt¹, ibique per multos annos depraedantes remanserunt. Quot autem et quantas clades secum attulerint si suspicari vis, haec Hieronymi lege². « Praesentium miseriарum pauca percurram. Innumerabiles et ferocissimae nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes et Pyrenaeum est, quod Oceano et Reno includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, et, o lugenda respublica!, hostes Pannionii vastarunt... Praeter paucos senes, omnes in captivitate et obsidione generati non desiderabant, quam non noverant, libertatem... » Ceterum, sciendum est haud improvisam fuisse Gallis barbarorum irruptionem. Asserit enim Salvianus³ adeo excrevisse magistratum romanorum iniquitate pauperum miseriam, ut optabiles visi sint barbari venientes, immo et complures eos praevenerint ad ipsos confugiendo, quaerentes apud barbaros romanam humanitatem, qui apud romanos barbarem immanitatem ferre non possent⁴. Saepe etiam foedere Gallis

¹ Prosp. Aquit. in Chron.

² Epist. 11, ad Arerichiam.

³ Lib. v.

⁴ Lib. v. Ejectos fuisse romanos magistratus a Gallis ipsis

juncti erant, atque ut amici et auxiliatores excepti; mox vero, spreto foedere, in rapinas et incendia urbium conversi sunt, quam immanitatem sic dolet Paulinus noster :

Quum subito pavefacta metu, graviore pericolo,
Auxiliatores pateretur Gallia Chunos,
Nam socium vix ferre queas, qui durior hoste
Extet, et adnexum foedus feritate repellat ⁴.

Luget autem Salvianus suos Gallos hisce flagellis haud moribus emendatos, verum deteriores factos esse.

Uxorem habuit Paulinus atque ab illa unum saltem, plures forsitan, suscepit liberos, quum vetulo illi nepotulus fuerit, quem mira quadam Martini virtute sanatum in poematio cecinit. Minime autem uxori aut liberis alludit in carmine. At, quum solus aegrotanti nepotulo adesset, nulla patris aut matris facta commemoratione, haud dubium est quin uxorem et liberos jamdudum amisisset. Quo magis ad similitudinem

in barbarorum arma sumentibus testatur quoque Zosimus (lib. 6).

⁴ Lib. vi, V. 218 et seqq, P. 247 et seqq.

Vid. et. Sidon. Apol. carm. iv, 248. Edit Baret.

Eadem lugel Paulinus Pellaeus in Eucharistico carmine :

Nostra ex urbe Gothi fuerant in pace recepti;
Non aliter nobis quam belli jure subactis
Aspera quaeque, omni urbe, irrogavere cremata, etc.

« Vid : Corpus eccl. script : Poetae christ. minor. Vol. xvi.
Paulini Pellaei Eucharisticos, 312 et seqq.

Paulini Pellaei accedit¹. Suos equidem peculiari ac tenero dilexit amore, quantum conjecto ex magno illo quo, dum graviter aegrotaret nepotulus, afficiebatur dolore : « Me, inquit,

..... Submotum pietas arcebat ab omni
Officio : exosam vitabant lumina lucem,
Dum poena est, quodcumque vident²...

Neque ab hac sententia abhorrent quae saepissime de parentibus aut pueris in poemate descriptis³.

Inde etiam suspicamur illum, amissio patrimonio, defunctisque suis, in secretum secessisse, monasticamque vitam postea amplexum. Immo, nisi nos fallat versus 646 libri secundi⁴, sacerdotio ornatus est. Hoc etenim loco, postquam Martinum exoravit ut « maculas » cordis depelleret, sic prosequitur :

Tum, credo, ad verae revocarer gaudia pacis,
Sanatum adtollens sancta ad Mysteria vultum.


« Sancta autem illa Mysteria » nihil aliud prorsus significant nisi Eucharistiam, hoc est, corporis Christi communionem. Voces vero « adtollens vultum » minus privatum quam presbyterum innuunt, qui, sublato ad coelum ore, ipse suis manibus sacra Mysteria per-

¹ Paul. Pell. Euchar., 492 et seqq.

² De visit. Nep., V. P. 27 et seqq

³ Lib. II, V. 486, P. 481. Lib. IX, V. P. 270. Lib. V, V. P. 18.

⁴ Lib. II, V. 645, P. 638.



petrat. Paulinus enim Pellaeus, qui presbyter non fuit, quum eadem indicare voluit, non « Mysteria », sed « Sacra menta¹ » scripsit, quae vox fidelem melius decet. Adde quod in epistola ad Perpetuum, episcopum Turonensem, quam minoribus carminibus praeposuit, dicit se carmen « de Visitatione » per Dominissimum diaconum suum misisse. « Versus per Dominissimum meum diaconum, inquit, sicut praecepisti, emisi... » Quid vero sibi vult ista vox « meum »? Amicumne an potius adjutorem in obeundis sacerdotii officiis indicit, ut tum episcopis et plerisque presbyteris mos erat²?

Quidquid id est, videtur Paulinus ab omni hominum coetu secessisse, atque in magna se quasi occlusisse solitudine, quippe quem nulla jam retinerent terrena vincula. Haud ita enim rari erant hoc tempore qui totis animi viribus solitudinem appeterent, doletque admodum Paulinus Pellaeus, quod familiae necessitudinibus impeditus non potuerit « monachi perfecto vivere ritu ». Noster autem Paulinus nulli suae aetatis viro alludit, praeter Dominissimum diaconum et Perpetuum, episcopum Turonensem, de quo pauca nunc dicenda sunt, quoniam poetae nostro conjunctissimus fuisse videtur.

Ille quidem non ante annum 461 scriptoribus innotescit, quo anno Turonicam sedem octavus, non sextus,

¹ Paul. Pell. Euchar., 477.

² Vide Sulp. Sev. Dial III. cap. 4.

ut vult Severinus Binius¹ occupavit, ex ipso Gregorii Turonensis testimonio : « Ab obitu sancti Martini, inquit² (hoc est ab anno 307) anni numerantur sexagesinta quatuor, nimirum quadraginta septem sedis Bricii, successoris S. Martini, et decem et septem illius qui post sedit Eustochii... » Porro, si ad annum 397, quo obiit Martinus, septuaginta septem adjunxeris, pro certo habebis Perpetuum non sedisse ante annum 461. Nec satis mirari possum Gregorium tam turpiter errasse, quum Paulino Nolano, triginta ante annis decesso, Petrocorii Paulini poema adscriberet, quod Perpetuo, jam episcopo Turonensi, dicabatur.

Hoc eodem anno « quum³ ad festivitatem qua Martini Receptio⁴ celebratur in civitatem Turonum beatissimi convenissent sacerdotes », Perpetuus, arrepta occasione, concilium habuit in quo nonnulla de rebus ecclesiasticis per longam incuriam vitiatis decreta sunt⁵. Nec multo post cellulam, quae super Martini

¹ Labbe. Sacrosancta concilia, t. iv, p. 1053.

² Vid. Baron. Ann, t. vi, p. 121.

³ Labbe. — Sacrosancta concilia, t. iv. p. 1051, in praefatione.

⁴ De hac festivitate Baronius, in notis Martyrologii, die 11 Novembris, haec scripsit : « Existimamus hanc illam esse diem, qua post altercationes Pictaviensium conantium sibi vindicare corpus Martini a Turonensibus clam ablatum, atque navigio impositum, magna omnium alacritate in Turonensem civitatem receptum est... »

⁵ Labbe. Sacrosancta concilia, t. vi, p. 1052.

sepulcrum olim aedificata fuerat, angustiorem videns (quippe quae assidua populorum multitudine frequenteretur) submovit, ibique basilicam exstruxit amplissimam¹, in cuius parietibus nonnulla sive Sidonii, sive Paulini nostri carmina inscribenda curavit².

« Hie instituit jejunia vigiliasque qualiter per circulum anni observarentur, quod hodie quoque apud nos retinetur scriptum³ ».

Sedit annis triginta annoque obiit 491.

Non instauranda tantum ecclesiasticae disciplinae, sed omnibus etiam suae dignitatis obeundis officiis mirum in modum incubuit sanctus ille vir. Extat enim illius testamentum⁴ quod piam benignamque mentem valde commendat. Servos quippe omnes, quotquot habebat, manumisit, omniaque sua, paucis exceptis, pauperibus viduisque et orphanis erogavit. Quin immo

¹ Quam vero basilicam fusius descripsit Gregorius Turonensis : *Hist. Franc.*, lib. x, cap. 31. Ejus autem prosam viginti et octo leoninis versibus transtulit postea Richerus, sancti Martini Metzensis abbas.

² Vid. oper. Sidon. in edit. Baret. Lib. iv, epist. v, et Baron. An. tom. iv, p. 279. De hac basilica sic Sidonius : « Magnum est, ut ferunt, opus nominandumque ; quod in honorem talis viri factum talis vir fecisse debuerit... ».

³ Gr. Turon. *Hist. Franc.*, lib. x, cap. 31.

⁴ Illud testamentum saepissime editum est. Vid. d'Achery, *Spicil*, t. v, p. 105. *Act. sanct.* 8 april. D. Ruinart : *Sti Greg. Turon. Oper. (in Append.)*. Pardessus : *Diplomata, chartae, etc.* Parisiis 1843. Corpet. *Œuvres de Sulp. Ser.*, p. 222.

et duobus presbyteris, quos antea propter pravos eorum mores e sacerdotio dejecerat, annuam, quamdiu vixerint, reliquit pecuniam.

Neque litterarum expers fuisse videtur, ex testimonio Sidonii Apollinaris, qui illi concessionem misit, quam in electione episcopi Bituricensis recitaverat¹. Piarum vero lectionum imprimis amantissimus fuit, eique, si Sidonio fidem adhibeamus, « bibliotheca fidei catholicae perfamiliaris erat² ». Quum vero Martinum, cui tertius in Turonica sede successit, magna veneratione prosequeretur, omnia diligenter colligebat atque ab amicis exposcebat quae prosa vel metro in honorem sancti viri scripta fuerant.

Hunc autem « specialem apud Dominum patrnum³ » vocavit Paulinus noster, ea prorsus causa quod ab illo, quum novum iniret vivendi genus, adhortationes consiliaque accessipet. Hoc etiam suadente, ut nonnulli volunt⁴, poema suum agressus est Paulinus.

Otium enim aegre ferebat novus ille christianus vir, cui mens fervida esset et pristinarum voluptatum memoria obsessa, pabulumque aliquid appetebat quo et semper vivaci Musarum studio illuderetur et seip-

¹ Lib. vii, epist. 7.


² Lib. vii, epist. 5.

³ Epist. ad Perpetuum.

⁴ Vid. Till. *Mémoires pour servir à l'hist. eccl.*, t. x, p. 182.


Vid. etiam « *Hist. littéraire...* ».

Quam sententiam confirmat prologus ad Perpetuum, quem in Reginensi codice reperit Petschenig.



sum in colenda virtute confirmaret. Quae vero magis pia, magis ampla simul et poeticis exercitationibus magis idonea materia esse poterat, quam sancti Martini vita, in qua fabulosa cum veris tam arcte permixta sunt, ut portentosas Deorum historias legere interdum putas? Paulino autem praesto erat et quasi in manibus illa materia, jam pedestri sermone ita explicata, ut nil fere aliud agendum superesse videtur, nisi eam versuum pedibus subdere, et poetico cultu induere.

Id nempe Martino contigerat, quod nemini forsitan alii, ut adhuc vivens fabulosus haberetur, non ab homine imperito aut longe remoto, sed a Sulpitio Severo, multae lectionis et judicii viro, qui Martinum ipsum haud semel adiverat, audiverat loquentem et viderat agentem. Operae igitur pretium erit in sequenti capite inquirere quo pacto factum sit ut vir eruditus, historicorumque studiorum peritissimus, tot portentosis rebus fidem adhibuerit, easque in libris consignaverit.



CAPUT SECUNDUM

DE LEGENDA S. MARTINI

**§ I. — Qua animi dispositione Vitam Beati Martini
descripserit Sulpitius Severus.**

**§ II. — Conferuntur Sulpitii Severi et Paulini
Petrocorii de Martino opera.**





CAPUT SECUNDUM


DE LEGENDA S. MARTINI

§ I. — **Qua animi dispositione Vitam Beati Martini descripserit Sulpitius Severus.**

§ II. — **Conferuntur Sulpitii Severi et Paulini Petrocorii de Martino opera.**

Ac primum necesse est ut diligenter exploremus quae fuerit sub finem quarti saeculi christianaे religio-
nis conditio, quaue animi dispositione Sulpitius Martinum noverit ejusque vitam descripserit.

Anno quidem 312, Christiani e Galerii saevitiis haud sine magna suorum strage vix elapsi, suam reli-
gionem palam et libere jam profitentur, immo et eis favent quicumque reipublicae praesunt. Haud multis vero post annis, in solio ipso cum Constantino victore sedent, iisdemque ac pagani juribus fruuntur. Nec jam satis est. Vix enim decesserat Constantinus, quum ipsi, mutatis vicibus, paganos, tanquam insanam per-
iculosamque profitentes doctrinam, ultro exagitant vexantque, nec quisquam vetera templa, quorum bona publicantur, nisi proposita morte ingredi potest;



immo vero, dirutis mox templis, antiquorum Numinum sacerdotes mercede fraudantur, quam ex publico aerario percipiebant, atque, si quis eorum Sacra faciens deprehenditur, capitis statim anquiritur¹. Ipsi provinciarum rectores periculo vitae jubentur ut veteris disciplinae fautores requirant carnificique deferant.

Sic ab anno 312 ad annum 395 mira velocitate crevit Christianorum potestas, quam frustra Julianus aliquantis per cohibere aggressus est, ut qui, ineunte quarto saeculo, in coemeteriorum cryptis latebrisque vexati se recundebant, eodem occidente saeculo non modo se palam prodirent, sed etiam res gererent publicas aemulosque suos inclementer urgerent.

Qui autem mentis humanae vel minime peritus est, atque novit quo naturae suae quasi impetu plerique homines ad eos ruant qui potentiam ac beneficia detineant, ille facile sentiet quantum christiana religio, prospera illa rerum mutatione, apud populum mox valuerit. Quum enim intelligeret nullam aliam esse nisi christianam ad honores et divitias viam, plebs illa, quae proceres densatim circumsistit, ultro se ad novam disciplinam convertit, plus saepe dedecoris et impedimenti quam utilitatis secum afferens.

Neque apud Imperatores modo et summos illos Imperii Magistratus, quorum plerique quasi regia quadam potestate fruebantur, tantum valuit christiana religio, sed apud omnes eos, vel inter plebem humilimos, qui suis utilitatibus inservire vellent. Quum

* Vid. lib. xvi cod. Theodos.

enim ii, qui christiano nomine gauderent, facilius ad honores dignitatesque promoverentur, benigniusque acciperentur a praefectis et judicibus, nemo fere fuit qui tam opportunam religionem palam profiteri noluit. Inde magnus ille juvenum concursus, qui ad sacros ordines ambibant, quum scirent se, dummodo inter clerum adsciscerentur, magnis fruituros esse praerogativis, ac, praesertim, a vectigalibus publicis immunes fore. Qui autem ad episcopatum evectus erat, ille nullis non cumulabatur honoribus.

Considera jam quam mutata rerum conditio fuerit ! Iis qui Pothini et Irenei tempore episcopi erant solum illud concessum privilegium, ut ante alias carnifici se potissimum traderent, primique ad mortem prope rarent; qui autem Constantini et ejus successoribus tempore ornantur episcopatu, ii praefectos et imperii vicarios non modo non jam reformidant, sed etiam ultro lacessunt; ii Imperatores ipsos et Reges libera ac saepe minaci voce alloquuntur. Quam quidem rerum mutationem bene expressit praefectus Pretextatus : « Visne me christianum continuo fieri, aiebat Damaso pontifici ? Fac ut Romae sim episcopus » !

Quae summatim jam descripsi de christianaे religionis sub finem quarti saeculi conditione, vera quidem et certa retuli, si ad Orientem easque graecas regiones, in quibus sedebant Imperatores, respexeris, non omnino autem vera neque accurata, si Occidentem et magnas praesertim Italiae Galliaeque urbes consideraveris. Huc enim confugerant priscae religionis Numinia ; ibi, in nobilissima ac potentissima quaque familia, quasi in ultimo propugnaculo, se conclude-

rant. Earum nempe urbium optimates, ut olim miseram Christianorum sortem minime doluerant, ita nunc prosperis eorum rebus minime invidebant. Omnes enim, quum a romano sanguine orti essent, aut ortos esse se jactarent, individuo quodam nexu superbiam sui generis et amorem patriae et defendenda romanae gentis vetera Numina consociabant. Nova autem religio non Deos tantum, sed pristinas nominis romani laudes prosternere velle videbatur; quumque suum decus jam nonnisi ex splendore quodam elapsi temporis expromerent nobiles, atque in majorum memoria, quasi in venerando sacrario, inclusi viverent, non mirum est si antiquos mores absoletamque religionem tam acriter defenderint. Senatus itaque romanus qui aequo animo fastidia atque interdum convicia Christianorum Imperatorum tulerat, non potuit tamen abstinere quin totis viribus refragaretur, quum Victoriae signum, Gratiani jussu, ex auditorio eruptum est, amissumque pristinae laudis quasi pignus vehementer doleret.

Ita sentiebant, quotquot erant, sive in Italia, sive in Hispania, sive praesertim in Gallia, consulari aut senatorio loco ortae familiae, non quod pio aliquo et sincero cultu Numina sua prosequerentur, sed quod per vicacia quadam et praejudicata opinione, ut mos est apud nobiles, praeteriti temporis disciplinam et instituta defendebant, christianamque religionem, tanquam malum quoddam fugitivum, a neglectis Diis illatum, habebant. Quod si ex illis unus aut alter, qui suae ambitioni inservire vellet, ut Ausonius rhetor¹, fictam

¹ Herbert. « Avec les empereurs, avec Paulin converti, il

dedisset aliquantis per novis dogmatibus fidem, ad pristinos statim, quum jam nulla esset ambiendi causa, redibat errores.

Hi erant Gallicae societatis mores, haec christianaæ Religionis conditio, quum natus est Sulpitius ex antiqua et nobili Aquitaniae familia. Nec tantum genere inclytus, sed omnibus liberalium studiorum artibus excultus erat, atque eloquentia, qua nemo ad maximos honores, immo ad Imperium se non ascensurum sperare poterat, praecellebat. Inter eos autem multos, qui hoc tempore in meridiana Gallia forensibus disceptionibus incumbebant, notabilem se, quanquam admodum juvenem, fecerat. Mox vero cumulum dignitatis addidit, puellam ducendo uxorem, quae ei et magnas divitias et incrementum decoris attulit. Nulla itaque gaudia, nullosque honores se non assecuturum merito putabat. Nonne enim Ausonius, Tarbeiensis medici pronepos, qui Musas et rhetoricae artem coluisse^t, Africae, Italiae et Galliae praefectus, immo et consul factus erat?

Omnibus igitur commodis, quae ex sua conditione oriri necesse erat, fruebatur Sulpitius, quum ingenti ac subita clade percussus est. Decessit nempe uxor, eumque vix vigenti et octo annos natum reliquit. Tum vero maximo affectus dolore, aeternumque in pectore quasi vulnus habens, res humanas, quam inanes et vacuae sint, expertus est, atque ad Deum toto juven-

(Ausone) était chrétien ; il était païen avec ses parents, ses professeurs et ses collègues. »

tutis suae impetu se contulit. Sic angoribus solatium, sic amantissimo cordi pabulum suppeditare poterat. Res enim publicas ex alto conspiciebat nec jam honores dignitatesque appetebat, quippe qui admodum juvenis omnibus vitae blandimentis satiatus esset. Quum autem Sallustium ceterosque labantis Reipublicae romanae scriptores assidue legisset, ex iis hauserat nescio quam animi ferocitatem, qua immunem se ab iis semper praestiterat pudendis obsequiis, quibus obnoxii erant coaequales. Saepe enim in ejus operibus occurunt elatae et liberae sententiae, quae civem romanum plane redolent, ut eum legens, stantis Reipublicae senatorem aliquem de divinis rebus disserentem audire credas.

Ea autem tempestate audivit Pontium Meropium Paulinum, cui a pueritia conjunctissimus fuerat, omnia sua, amplissima quidem, bona pauperibus dedit, ut humilem Deoque devotam vitam amplecteretur. Quod quidem insolitum vitae genus magnae fuerat Aquitanicis proceribus invidiae, qui Paulinum quasi proditorem odio et convitiis persecuti sunt¹. Non is vero erat Sulpitius qui a proposito deterreretur, sed contra magis, reprobantibus ceteris, in consiliis perseveraret, atque, ut erat generoso et libero animo, viam illam sequi voluit, quae plerisque despectui erat. Paulini itaque exemplum secutus est, atque, abjecta omni humana laude, omnia sua bona in christianam societatem contulit, non ut in episcopatu ea omnia,

¹ Vid. Epist. xi.

quae libenter amississet, rursus, mutata tantum veste, haberet, sed ut in silentio, et inopia et latebris vive-ret. Haec ad eum Paulinus : « Tu, frater dilectissime, ad Dominum miraculo majore conversus es, quia aetate florentior, laudibus abundantior, oneribus pa-trimonii levior, substantia facultatem non egentior, et in ipso mundi adhuc theatro, id est, fori celebritate diversans, et facundi nominis palmam tenens repen-tino impetu discussisti servile peccati jugum, et lethalia carnis et sanguinis vincla rupisti. Neque te divitiae de matrimonio familiae consularis aggestae, neque post conjugium peccandi licentia et caelebs juventas... ab angusto salutis introitu revocare potuerunt... »¹

Hunc quoque, ut antea Paulinum, irrisere coaequales, quibus respondere, ut fervida et feroci erat indole, primum instituerat. At, instante Paulino, a proposito quasi invitus destitit². Nec tamen, ut ei suaserat ami-cus, Galliam reliquit, sed ruri secessit, circa Elusonem, ubi, inter servos suos, quasi inter aequales, immo et fratres, in omnibus apostolicae vitae virtutibus vitam traduxit, docendis potius famulis quam inspiciendis agris occupatus³. Ac quidem necesse est animo conce-pias quanta in paupertate et omnium voluptatum frus-tratione vixerit juvenis ille, qui non multo ante om-nibus vitae lenociniis fruebatur, si vis intelligere quanto stupore commotus fuerit, quum apud Christia-

¹ S^a Paulini. Epist. v, § v.

² id. ibid.

³ Vid. Epist. Paul. xi et xxiv.

nos, immo apud clericos, easdem libidines eademque
vitia detexisset, quae, dum in solitudinem secederet,
vitaturum se crediderat. Quum enim Christi vitam
Apostolorumque gesta et Martyrum supplicia avida
mente legeret, longe alios esse Christianorum mores
sibi finxerat. At, ut jam dixi, plane mutata erant tem-
pora. Christiana religio non jam serva, sed domina
facta erat; nemo propter eam jam male habebatur,
multi contra per eam ditescebant. Quos adulteratos
mores horrebat Sulpitius qui sic in clericos sui temporis
mordacius invehitur¹. « Ceterum quum neque opere
neque virtute conspicuus sit, si quis clericus fuerit
effectus, dilatat continuo fimbrias suas, gaudet salu-
tationibus, inflatur excursionibus, ipse etiam ubique
discurrit. Et qui ante pedibus aut asello ire consue-
verat, spumante equo superbus invehitur; parva prius
et vili cellula contentus habitare, erigit celsa laquea-
ria, construit multa conclavia, sculpsit ostia, pingit
armaria, vestem respuit grossiorem, indumentum
molle desiderat, atque haec caris viduis ac familiari-
bus mandat tributa virginibus... »

Quoscumque autem ab austoris Christi praeceptis
deflectentes videbat, eos indefesso impetu vituperabat,
neque episcopis aut monarchis, inter quos vivebat,
parcebat, sed omnes ad officium verainque discipli-
nam compellabat. Omnia illi sub coelum mala ac
perversa videbantur. Iracundum itaque sed honestum
ac sincerum hominem, qui solitudinem appetit in qua-

¹ Dial. 1, cap. xxi.

se vere christianum gerere possit, dum considero, non possum quin in memorian revocem nostri Molieri Alcestem qui quoque quaerit

... un endroit écarté,

Ou d'être homme d'honneur on ait la liberté.

Ipse autem Severus, quidquid dixit, ex graecis latinisque scriptoribus, ac, praesertim, ex prima institutione nonnihil hauserat paganae illius disciplinae, qua Numinia inter homines assumere convueverant veteres, atque ad unum Caesarem divinos honores paulatim conferre. Quum vero innumera illa Numinia, quae pagani composito quasi ordine venerabantur, aversaretur, ut illud tamen quod coelum inter et terram vacuum erat spatium repleret, virum quae sivit virtutibus et meritis conspicuum, quem, quantum per christiana dogmata liceret, sibi et ceteris colendum proponeret.

Erant eo tempore, in diversis Imperii provinciis, multi, ut Ambrosii et Athanasii et Cypriani, virtutibus, doctrina, scriptisque suis notissimi viri. Ad eos tamen non se acclinabat Sulpitius, quorum quippe nullus suis cogitationibus respondere videretur. At omnium ore celerabatur senex quidam, quem invitum populus ad episcopatum promoverat, cujusque mores apostolicorum temporum memoriam renovabant, Martinum dico, Turonensem episcopum. Ejus primordia plane mirabilia fuerant. In Pannonia enim, sub militis tabernaculo natus, eques primum militaverat, dein vero, quamprimum potuerat, totum se colendo Deo dederat. Hilario primum, Pictaviensi episcopo eruditissimoque viro, addictus est, ex quo

tamen nec litterarum amorem nec discendi studium hausit. Litteris quidem atque eloquentia minime opus erat, ut id, quod sibi proposuerat, assequeretur. Quum enim in Galliam, Juliano regnante, venit, christianam religionem aversabantur ruricolarum plerique⁴, qui, ut proceres, sed diversis causis, obstinato animo pristinos mores retinebant. Itaque Martinus, approbante Hilario, monasterium non longe ab oppido constituit, ex quo, quasi ex munitis castris, Christi miles cum monachis egrediebatur, rura vicina perlustrans, igne malleoque diruens innumera illa templa, in quibus Sacra facere plebs solita erat. Ille impetu magis quam arte in dicendo pollebat, strenuoque, atque, ut ita dicam, super naturam humanam enecto animo praeditus erat, quo nulos labores nullaque pericula non obibat.

Absit autem ut omnibus miraculis, quae illi adscripsit Sulpitius, fidem adhibeamus; eorum enim pleraque non humanas vires exceedere videntur, ea praesertim quae ad aegrotantium aut caecorum curationes pertinent, siquidem penicillo aut oleo aut quovis alio liquore uteretur; quo liquet illum medicinae haud inexpertem fuisse. Nonnulla tamen vere miracula sunt, si ad hominis virtutem et fiduciam atque in egenos et pauperes misericordiam respexeris. Exemplum unum proferre liceat. Quum in vico quodam templum antiquissimum diruisset, et arborem pinum, quae fano

⁴ Vid. *Vit. Mar.*, cap. xii et seqq. *Greg. Turon. Hist. Franc.*, lib. i.

erat proxima, excidere vellet, antistes illius loci, ceteraque gentilium turba obsistere coepit. Tum ex illis unus : « Si habes, inquit aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nos met ipsi succidemus hanc arborem, tu ruentem excipe; et, si tecum est tuus, ut dicis, Dominus, evades ». Non cunctatur Martinus quin se intrepido pectore ruenti arbori objiciat. « Pallabant monachi, inquit Sulpitius, et periculo jam propiore conterriti, spem omnem fidemque perdiderant, solam Martini mortem expectantes. » Sed arbor diversam in partem magno fragore et adstantium tumultu occubuit.

Inane prorsus ac ridiculum esset inquirere quo casu factum sit, ut viri fiduciae ac temeritati ita bene successerit. At certum est Martinum maxima talibus gestis apud plebem auctoritate valuisse, Sulpitioque plane assentimus quum haec verba aut alia similia, finito fere quoque capite, exsultans profert : « Quo viso, omnes fere rustici in Jesum Dominum crediderunt¹ ».

Illa autem tempestate accidit ut vacaret Turonensis sedes, qua in regione maxime valebant pagani, atque urbis incolae Martinum, cuius fama ad eos jamdudum pervaserat, episcopum esse optarent. Ab hoc autem munere abhorrebat Martinus, qui timeret ne in tanta dignitate pristinam amitteret virtutem². Dolo itaque

¹ *Vit. Mart.*, cap. xiv, in fine.


² « Illud autem saepe animadverti, Sulpiti, Martinum tibi dicere solitum, nequaquam sibi in episcopatu eam virtutum gratiam suppetisse, quam prius se habuisse meminisset. » *Vit. Mart.*

contenderunt ut eum e monasterio ad ecclesiam adducerent. Plebs quidem Martini partes tenebat; episcopi autem collegam hunc respuebant, agrestem et inculatum. Devicit tamen popularis aura, atque episcopum Martinum omnes acclamavere.

Non immerito quidem Martino obsistebant ceteri sacerdotes. Tali enim viro olim opus fuisse, quum Christiani vexarentur, ut timidis animus adderetur terrenturque pagani magistratus. Hoc autem tempore nil tale agendum supererat. Potentes enim et formidandi erant episcopi; eis magnae divitiae et latifundia, quibus consulere necesse erat. Non is vero erat Martinus qui talia intelligeret. Nil itaque in victu suo mutavit, atque, ut ait Sulpitius, « implevit episcopi dignitatem, ut non tamen propositum monachi virtutemque desereret » . At, ut ait Sulpitius, « quum inquietudinem se frequentantium ferre non posset ¹ », duobus fere extra civitatem millibus aliud monasterium sibi exstruxit, in quo maximam temporis partem cum octoginta discipulis traducebat. Nec destitit tamen quin interdum egrederetur ut templa paganorum fana que dirueret, aut reges et proceres adiret, a quibus miserorum et damnatorum veniam non humili, sed feroci ac saepe minaci voce petebat. Divitias quoque in summo despectu habebat nec quidquam vel ab offrentibus aliquando accipere voluit. « Postremo abeunti multa munera obtulit Valentinianus, quae vir sanctus, ut semper, paupertatis suae custos, cuncta rejicit ². »

¹ *Vit. Mart.*, cap. x.

² *Dial. II*, cap. v.



Is erat vir quem Sulpitius quasi perfectum christiana disciplinae exemplar sibi finxerat, quemque in summa sua solitudine jamdudum demirabatur. Hunc cum Apostolis conferre, ejusque gesta poeticis veterum commentationibus opponere paulatim adsueverat. At, quum reluctanti quanquam animo assidue occurrerent veterum lucubrationes, in earum locum aliquid sufficere statuit, ne diutius praeteriti temporis imaginibus turbaretur. Neque abs re videtur verba referre, quibus propositi rationem ipse bene explicat¹.

« Plerique mortales studio gloriae secularis inaniter dediti, exinde perennem, ut putabant, memoriam nominis sui quaesiverunt, si vitas clarorum virorum stilo illustrassent. Quae res utique non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptae spei fructum afferebat : quia et sui memoriam, licet incassum, propagabant, et propositis magnorum virorum exemplis non parva aemulatio legentibus excitatur; sed tamen nihil ad beatam illam aeternamque vitam haec eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis occasura cum saeculo scriptorum suorum gloria profuit? Aut quid posteritas emolumenti tulit legendō Hectorem pugnantem, aut Socratem philosophantem? Quum eos non solum imitari stultitia sit, sed non acerrime etiam impugnare, dementia : quippe qui humanam vitam praesentibus tantum actibus aestimantes, spes suas fabulis, animas sepulchris dederint... quum hominis officium sit, perennem potius vitam, quam perennem memoriam

¹ *Vit. Mart.*, cap. I.

quaerere... Qui quidem error humanus litteris traditus in tantum valuit, ut multos plane aemulos vel inanis philosophiae, vel stultae illius virtutis invenerit. Unde facturus mihi operae pretium videor, si vitam sanctissimi viri, exemplo aliis mox futuram, perscripsero : quo utique ad veram sapientiam, et coelestem militiam, divinamque virtutem legentes incitabuntur... »

Huic autem incepto deerat vir aut potius heros, supra naturam hominis positus, qui in se divinum quoddam habere atque ad Deum accedere videretur. Cui sententiae plane respondere visus est Martinus. Itaque Sulpitius ad eum invisendum longam arduamque suscepit peregrinationem. « Credi non potest, inquit qua me humilitate, qua benignitate suscepit, congratulatus plurimum et gavisus Domino, quod tanti esset habitus a nobis, quem peregrinatione suscepta expetissemus. » Eum suo convivio adhibuit, aquam manibus obtulit, et pedes abluit, ut crediderit Sulpitius se ad apostolica tempora plane reversum fuisse. Ei etiam callide et obliqua via blanditus est Martinus, Paulinum laudando amicum, qui « solus paene illis temporibus evangelica praecepta complessus », quique « quod erat factu impossibile, possibile fecisset exemplo¹ ».

His laudibus, hac simplici et apostolica Martini vita, quae a ceterorum episcoporum deliciis luxuriaque tantum abhorrebat, valde commotus est Sulpitius, ex illoque die plane Martino devinctus est, et quasi incantatus, ad omnia credenda paratus.

* *Vit. Mart.*, cap. xxvi.

Tum, quia jamdudum ardebat animus vitam sancti viri scribere, partim ab illo ipso seiscitatus est, partim ab his qui interfuerant, vel sciebant, comperit. Opusculum itaque de *Vita Beati Martini* edidit, quod tanto omnium favore exceptus est ut Romae librariis magno fuerit quaestui, siquidem nihil illo promptius, nihil carius venderetur, breve tempore Egyptum, Nitriam, Thebaidam ac tota Memphitica regna transierit¹. Multi autem inter clerros ac praesertim episcopos miraculis quae de Martino proferebantur minime fidem adhibebant². Illum enim militiae actibus olim sorduisse dicebant, nunc vero per inanes superstitiones et phantasmata visionum ridicula, prorsus inter deliramenta senuisse, Sulpitium autem plurima in libro mentitum. Quos obtrectatores nullis non convitiis persequitur Sulpitius³, illosque non jam homines sed vere diabolos esse praedicat. « Nosse illum invidi noluerunt, inquit, quia si virtutes illius nossent, sua vitia cognovissent. » Tanto autem fervet in Martinum affectu ut illum Christo, ejusque miracula Evangelii conferre audeat.

Paucis vero post annis, quum in illo libello multa praeclaraque Martini facinora omisisset, ne legentibus, ut ipse fatetur, taedium aut incredulitatem afferret, novum opusculum, quod postea in tres *Dialogos* partitum est, scripsit, atque in eo omnia tandem retulit sancti viri gesta, quae ex consulto ante praeterierat.

¹ Dial. II, cap. xxii.

² Dial. III, cap. xv.

³ Dial. I, xxvi. Dial. III, xv.

His autem Dialogis qui vivente adhuc Martino, ut communis opinio est, sunt vulgati, tres etiam addendae sunt epistolae de Martino, quarum aliam ad Eusebium, aliam vero ad Aurelium, aliam denique ad Bassulam postea miserat Sulpitius. Quas quum Paulinus noster aut ignoraverit aut legendas neglexerit, breviter recensere visum est.

Ad Eusebium presbyterum. — Contra aemulos virtutum Martini.

Hanc epistolam scripsit ut quemdam refelleret qui « malo, ut ait, spiritu » exagitatus, interrogabat cur Martinus qui mortuos suscitasset, flamas domibus depulisset, ipse nuper adustus incendio, paene obiisset — Illud idem jam antea de Christo et Paulo apostolo dicebant gentiles. Sciat autem impius ille vir haec et alia ejusdem generis incommoda non absque divino consilio sanctis hominibus accidisse, qui, quum omnia aequo animo ferant, tanto gloriosius vincunt, quanto gravius perferunt. Ceterum non occubuit Martinus, sed incolmis statim ex flammis evasit, ubi ad orationem et praesidium Domini, non vero ad fugam, ut instinctu quodam et animi perturbatione primum instituerat, se convertit.

Ad Aurelium diaconum — De obitu et apparitione Martini.

Tristia meditabatur in cellula Sulpitius, et fatigata angore animi in lectulo membra posuerat, siveque obrepserat somnus, « horis quidem matutinis levior et incertus, ut paene vigilans aliquis dormire se sentiat », quum repente beatum Martinum videre illi videntur, toga praetextum candida, vultu igneo, stellanti-

bus oculis, crine purpureo. Sulpitio autem paululum arridens, libellum, quem de vita illius scripserat, dextra praeferebat, sinistramque tenebat capiti impositam. At, brevi post tempore, ad coelum sublatus ereptus est. Hunc sequitur Clarus, olim Martini discipulus, qui nuper excesserat. Sulpitius autem sequi cupiens, dum altos gressus molitur et commititur, evigilat. Nec multo post ad eum puer ingreditur qui Martinum obiisse nuntiat. « Concidi, fateor, inquit, obortisque lacrymis flevi uberrime, quin etiam, dum haec ad te, frater, scribimus, fluunt lacrymae, nec ullum impatientissimi doloris admitto solatum ». Non tamen decet flere cui tandem « post evictum saeculum corona justitiae redditia est ».

Ad Bassulam, socrum suam. — Quomodo beatus Martinus ex hac vita ad immortalem transierit.

Leviter et festive socrum suam increpat Sulpitius quod illa nullam chartulam, nullum libellum, nullam genero epistolam furto non subducat. Nimirum abarattos habet Sulpitii notarios qui tradunt quidquid vel familiariter scripserit. Ni enim res ita esset. quomodo ad eam cito pervenisset epistola, quam nuper Aureliano diacono misit, quanquam ille Tolosae sit positus, illa vero Treveris constituta?

Efflagitat autem Bassula ut Martini ultima momenta Sulpitius scribat, cui satisfaciet ille, si det fidem nulli se esse lecturam.

Condatensem dioecesim, pacis reformandae causa, visitabat Martinus, quum viribus corporis coepit repente destitui, convocatisque discipulis indicavit se jam resolvi. Tum vero moeror et luctus omnium, vox

una plangentium : « Cur nos, pater, deseris? Miserere nostri ». Tunc ille, motus his fletibus, lacrymasse perhibetur, conversusque ad Dominum haec tantum gementibus repondisse : « Domine, fiat voluntas tua »! Diabolum autem videns prope adsistentem : « Quid hic, inquit, adstas, cruenta bestia? Nihil in me, funeste, reperies. Abrahae me sinus recipiet ». Haec dicens spiritum coelo reddidit.

At credi non potest quanta hominum multitudo ad ejus obsequias convenerit. Tota Turonica civitas obviam corpori ruit; cuncti ex agris atque vicis multique ex vicinis etiam urbibus adfuerunt.

§ II. — Libelli de *Vita S. Martini* materiem excipiens Paulinus noster, quum in pia illa quam ante diximus, animi esset voluntate, tribus versuum libris complexus est.

Vix autem libros illos scripserat, quos ultra non progressurum se initio statuerat, quum ab amico quodam, a Perpetuo prorsus episcopo Turonensi, novum de Martini gestis opusculum, hoc est, Dialogos, accepit, quos ipse nondum legerat¹.

¹ Lib IV V. P. et seqq.

Finierat sumptum translatio coepit volumen
Percurrens sancti pura exemplaria libri,
Quum subito oblata est abstrusae gloria nobis
Historiae...

« Ac quidem Paulinus hic aperte Severum non nominat. Sed haec nulli nisi Severo plane convenire queunt, quandoquidem voluminis et libri translati appellatione, intelligere voluit librum unicum quem paulo ante monui a Severo de

Non is erat Paulinus qui secundam hanc materiem, sero quidem, sed tamen opportune cognitam, respueret, atque in via, quam sibi destinaverat, remissus subsideret. Duos itaque versuum ex ea excerptos libros prioribus adjecit.

Jamque consummato, ut credebat, toto poemate, Martinum, cuius gesta poetico cultu exornaverat, precibus votisque supplex compellabat, quum rursus a Perpetuo chartam accepit, in qua prosa descriebantur Martini miracula quae post ejus decessum gesta erant.

Eodem autem tempore accidit ut Paulini nepotulus puellaque illi nubenda, gravi morbo afficerentur. At ille, Martini virtute confisus, eorum pectoribus modo receptum imposuit indicem, cuius opera, recedente febre, continuo revaluerunt. Hoc tam insigni miraculo accensus avus, tantique beneficii haud immemor, chartae materiem uno versuum libro transcripsit, atque ita quinque prioribus libris sextum insuper addidit, cuius in contextione nonnulla Martini miracula narrantur quae non attigit Severus in Dialogis.

Nonnullis vero post annis, ab illo aetate jam confecto idem Perpetuus postulavit ut aliquot versus in honorem S. Martini scriberet, quos in illa splendida quam restituerat ornaveratque ecclesia, circa tumulum

vita Martini editum; cumque sibi oblatam « abstrusae », id est, parum cognitae, historiae gloriam statim adjiciat, procul dubio respexit ad posteriorem ejusdem Sulpitii libellum ». Ita Juretus, in notis ad vers. primum et seqq. iv. libri.

inclytissimi Turonensis episcopi exculpere instituerat. Cujus quum rogationi annuisset Paulinus, viginti etiam versus excudit qui sic in ecclesia Turonensi inscribebantur: *Epigramma basilicae Martini apud Turones inscriptum, super ostium a parte Ligeris*¹.

Arrepta autem occasione, curavit poeta ut negligenteriam suam, quam jamdudum ipse sibi, culpante etiam nepotulo², vituperationi dabat, rescinderet, ut, scilicet, pio carmine miraculum describeret, quo ad sanitatem nepotulus revocatus fuerat. Octoginta igitur versus rursum scripsit, quos Perpetuo cum epigrammate misit.

Opera igitur Paulini Petrocorii poetica triplici sub titulo in *Bibliotheca Patrum* ceterisque editionibus continentur, nempe:

1° **Carmen de vita S. Martini sex libris dilatum.**

2° **Carmen de visitatione Nepotuli sui.**

3° **Epigramma de Orantibus, basilicae Turonensi inscriptum.**

Cujus poematis libri versuum numero valde inaequales sunt, varioque ex fonte excerpti, ut ex hac tabula facile deprehendes:

¹ Male quidem ait Corpetius, in edd. Paris, 4^a et Lugd. *de Orantibus* inscribitur. Hunc vero titulum restituit Peschenig ex codd. Vatic. biblioth.

² . . . Et reliquis jussit me jungere signis
Quam praesensit opem... *De Visitat. Nepot.*

	Ed. Vind.	Ed. Paris.	
Primus continet versus	386	386	
Secundus » »	726	719	Ex opusc. Sulpit. <i>de vita B. Martini.</i>
Tertius » »	458	456	
Quartus » »	673	673	Ex <i>Dialogis</i>
Quintus » »	873	873	eiusdem Sulpit.
Sextus » »	506	505	Ex charta <i>Perpetui.</i>

Cui versuum numero si versus carminis *de Visitatione*, 80, et epigrammatis *de Orantibus*, 25, adjunxeris, ad quatuor fere millia versuum accedes, quibus integrum ad nos Paulini Petrocorii pervenit opus.

Sulpitii quidem epistolas neglexisse, aut potius, ut opinor, ignorasse videtur poeta noster. Nil enim antiquius habere debebat quam ut congruentem quinto suo libro finem adderet, ut, scilicet, ultima Martini momenta obitumque flebilibus transcriberet versibus. Nec est quod ignorantiam poetae demireris, quum jam animadverteris illum Dialogos Sulpitii, probatissimum quidem ac notissimum opus, non legisse, neque unquam forsitan lecturum fore, nisi illos a Perpetuo accepisset.

Operae autem pretium esse videtur in peculiari quasi tabula gestorum Martini seriem, indicatis tantum summatim capitibus, breviter exponere, ut una et primo adspectu appareat quae inter Sulpitium et Paulinum similitudo vel diversitas intercedat. Dieamus postea qua de causa alia quidem transcripserit, alia vero omiserit Paulinus.

Capitum numeri Panckouckianam an. 1849, a Corpetio exaratam; versuum autem ambas editiones, Vindobonensem, scilicet, et Parisinam Corpetii designant.

Ex SULPITII

vita Beati Martini.

Prologus. Sulpitii Severi epistola ad Desiderium de libro vitae beati Martini.

Cap. I. Qua de causa vitam Beati Martini describere aggressus est Sulpitius....

Cap. II. Martini patria et parentes, ejusdem militia.....

Cap. III. Martinus pauperem vestit apud Ambianenses.....

Cap. IV. Barbari Galliam invadunt. Deserit militiam Martinus.....

Cap. V. Ad Hilarium festinat. Parentes invisit. A latronibus capitur.....

Cap. VI. Diabolus ei occurrit. Matrem convertit ad fidem. Arianis resistens virgis caeditur et expellitur. Mediolani, ad insulam Gallinariam secedit. Helleborum comedit.

Cap. VII. Ad Hilarium revertitur.....

Catechumenum sine baptimate mortuum suscitat.....

Cap. VIII. Servum Lupicini strangulatum ad vitam revocat.....

Cap. IX. Episcopus Turonensis creatur..

Cap. X. Monasterium sibi construit apud Ligerim. Monasticae vitae ratio.....

Cap. XI. Aram latroni sicut Martyri consecratam destruit.....

Cap. XII. Gentiles turbas verbo sistit...

Cap. XIII. Ruentem arborem excipit....

Cap. XIV. Ignem domui imminentem fide repulit. Ab angelis juvatur in templo diruendo.

Cap. XV. In pago Æduorum aliud templum evertit. Manus percutere volentis

Ex PAULINI

vita Sancti Martini

LIB. I

V. P. 1- 53

V. P. 53-139

V. P. 139-178

V. P. 178-212

V. P. 212-283

V. P. 283-297

Invocat poeta Martinum. V. P. 297-316

V. P. 316-365

V. P. 365-385

LIB. II

Invocat poeta Martinum. V. P. 1- 45

P. 45- 86

V. 90-156 P. 86-152

P. 152-218

P. 218-247


P. 247-330

V. 156-222 P. 330-425

V. 222-251

V. 251-335

V. 335-430



torpet. Culter labitur e manu volentis ferire.....	V. 430-480	P. 425-475
<i>Cap. XVI.</i> Treveris paralyticam oleo benedicto curat.....	V. 480-539	P. 475-532
<i>Cap. XVII.</i> Tetradii proconsulis servum a daemone liberat. Daemoniacum alterum curat.....	V. 539-602	P. 532-595
<i>Cap. XVIII.</i> Daemones mali rumoris auctores eluduntur. Parisiis leprosum osculo sanat.....	V. 602-637	P. 595-630
<i>Cap. XIX.</i> Arborii filia tactu epistolae suae sanat. Paulini oculum sanat. Ab angelo curatur.....	Invocat poeta Martinum.	(P. 630-643 V. 637-650
<i>Cap. XX.</i> De Maximi imperatoris fastu, et episcoporum adulatione. Martinus con- vivio regis tandem excipitur. Regi futu- rum praedicit mortem.....	V. 650-726	P. 643-719
<i>Cap. XXI.</i> Cum angelis et diabolo loqui- tur Martinus. Rusticum quemdam interficit Diabolus.....	Lib. III	
<i>Cap. XXII.</i> Diaboli variae formae et illu- siones. Diabolus, si illum poeniteret, sal- vari posset.....	Invocat poeta Martinum. V. P. 1- 8	
<i>Cap. XXIII.</i> Clarus, omnibus relictis, Martino adhaeret. Anatolii mentita sancti- tas; ejusdem fraus deprehenditur.....	V. P. 8-144	
<i>Cap. XXIV.</i> Diabolus regio habitu Mar- tinum tentat.....	V. 204-260	P. 204-258
<i>Cap. XXV.</i> Peregrinationem suam ad Martinum narrat Sulpitius.....	V. 260-363	P. 258-361
<i>Cap. XXVI et XXVII.</i> De moribus Martini.	Daemonem increpat poeta.	(P. 361-372 V. 363-374
DIALOGUS I	V. 374-411	P. 372-409
<i>Cap. XXIII.</i> Liber Sulpitii de vita beati Martini omnibus notus.....	V. 411-458	P. 409-456

Cap. XXIV et XXV. Nulli et sanctitate et miraculis cedit Martinus.....

Cap. XXVI. Invehitur Sulpitius in eos qui Martino non credunt.....

DIALOGUS II

Cap. I. Hieme se tunica exuit et pauperem vestit.....

Cap. II. Sacrificanti Martino globus ignis in capite micat.....

Puerum ictum a serpente solo tactu curat.....

Cap. III. A militibus caeditur.....

Cap. IV. Dicebat Martinus sibi non fuisse eamdem in episcopatu virtutum gratiam quam prius se habuisse meminisset.....

Filium mortuum matri restituit.....

Cap. V. Palatum Valentiniani petit. Arcet illum Valentinianus; coactus tamen assurgit Martinumque excipit.....

Cap. VI. Maximi imperatoris uxor convivio Martinum excipit.....

Cap. VII. In viduas et virgines lascivientes invehitur Sulpitius.....

Cap. VIII. Loca venerantur virgines in quibus stetit Martinus. Energumenus curatur stramine in quo Martinus occubuerat.

Cap. IX. Vacca a daemone vexata liberatur.....

Epistolae suae ad Eusebium alludit Sulpitius.....

Lepusculus a canibus, Martino jubente, liberatur.....

Cap. X. Joci et sales Martini.....

Cap. XI. Monachum, olim militem, qui uxorem desideraret, increpat Martinus....

LIB. IV

Indicat poeta qua causa vitam Martini versibus transcribendam suscepit.

V. P. 1-21

V. P. 21-79

V. P. 79-96

V. P. 96-150

V. P. 150-245

Invocat poeta Martinum. V. P. 245-254

V. P. 254-292

V. P. 292-345

V. P. 345-419

V. P. 419-465


V. P. 465-485

Invocat poeta Martinum. V. P. 485-496

V. P. 496-520

V. P. 520-591

V. P. 594-640



Cap. XII. Virgo monialis visitantem Martinum non admittit.....

V. P. 640-673

In moniales et nonnullas virgines christianas invehitur Sulpitius.....

Cap. XIII. Cum angelis et daemonibus loquitur Martinus. Angelus ei nuntiat quae procul gerantur.....

Cap. XIV. De fine orbis et Antichristo nonnulla vaticinatur Martinus.....

DIALOGUS III

Cap. I. Multi ad cellulam Sulpitii accurrunt ut Martini miracula audiant.....

Cap. II. In civitate Carnotensi puellam duodecennem ab utero mutam, oleo in os injecto, sanat.....

Cap. III. Crescit oleum benedictione Martini.....

Ampulla plena oleo a Martino benedicta in terram labitur, nec frangitur.....

Nomine Martini tacet canis.....

Cap. IV. Martinus noctu Avitianus comitis domum petit. Avitanus lecto turbatus excluditur, ut Martino adstanti in foribus decurrat.....

Cap. V. In eos qui Martino non credunt rursus invehitur Sulpitius.....

Cap. VI. Nonnullos vexatos a daemonie curat Martinus.....

Cap. VII. Pagum Senonensis dioecesis ab annua grandine liberat.....

Cap. VIII. Daemonem in Avitiano adstantem videt et « exsufflat » Martinus....

In Ambatiensi vico templum idolorum oratione destruit.....

LITURGIA V

Invocat poeta Martinum. V. P. 1-18

Vetus christianorum mos
de oleo benedicendo asser-
vando. V. P. 101-146

V. P. 146-189

V. P. 189-240

V. P. 240-253

Avitiani comitis crudelitas.
Variarum poenarum ferales
apparatus. V. P. 253-309


V. P. 309-398

V. P. 398-433

V. P. 433-480

V. P. 480-528

V. P. 528-582



<i>Cap. IX.</i> Columnam molis immensae, cui idolum super stabat, oratione facta, in pulverem solvit.....	V. P. 582-605
<i>Mulier profluvio sanguinis sanatur attactu vestis Martini.....</i>	V. P. 605-616
<i>Serpens, jussu Martini, in ripam ultiore transmeat.....</i>	V. P. 616-637
<i>Sanationem animae a Martino poeta petit.</i>	V. P. 637-651
<i>Cap. X.</i> Piscatoribus nihil piscantibus, jussu Martini, capture cedit.....	V. P. 651-695
<i>Arborius videt manum sacrificantis Martini vestiri gemmis micantibus.....</i>	V. P. 695-700
<i>Cap. XI, XII, XIII.</i> Ithacianam causam fuse exponit Sulpitius.....	(<i>Incerta et obscura modo transcripsit Paulinus).</i> V. P. 709-729
<i>Cap. XIV.</i> Energumenus curatur nondum attacto Martini cellae limine.....	V. P. 729-736
<i>Nautis in mari succurrit.....</i>	V. P. 736-787
<i>Lycontii domum a pestifera lue liberat..</i>	V. P. 787-856
<i>Monachus quidam, nudato inguine, incestat Martini habitaculum.....</i>	Laudat et invocat Marti- num poeta.
<i>Cap. XV.</i> Brictio, a daemonibus agitatus, mille convicia in Martinum evomit.....	V. P. 856-873
<i>Cap. XVI.</i> Brictioni, Martini successor, alludit Sulpitius.....	
<i>Cap. XVII.</i> Posthumianum hortatur ut quocumque iverit gloriam Martini praedicet.....	
<i>Cap. XVIII.</i> Eudem hortatur ut ad tumulum Pomponii properet, ibique lacrymas fundat, solumque purpureo flore et suave redolentibus spargat graminibus...	



DE SEXTO PAULINI LIBRO.

In hoc sexto libro jam non Sulpitium sequitur Paulinus, sed ea, ut supra dixi, narrat miracula quae post decessum Martini gesta sunt. Quae quidem miracula prosa jam descripscerat alius, Perpetuus sane, episcopus Turonensis, qui Paulino nostro indicem misit versibus transcribendum. At, quum index ille omnino perierit, haud promptum est dicere utrum exemplar suum fideliter necne secutus fuerit Paulinus. Testatur quidem Perpetuum non incerta, nec vagos rumores, sed quae ipse videt narrasse. — En miraculorum, quae in hoc sexto libro continentur, indiculum :

DE VIRTUTIBUS SANCTI MARTINI PRAESENTIBUS

V. P. 4-34. Martinum invocat poeta. Laudat Perpetuum.

V. P. 33-71. Energumeni per cancellos basilicae vehuntur et in puteum jactantur impulsu daemonis; mox illaes i abstrahuntur ope Martini.

V. P. 71-92. Quidam raptus a daemone et fluvio immersus siccis vestibus egreditur.

V. P. 92-106. Energumeni vario idiomate, immo et Graece loquuntur.

V. 106-152. P. 106-151. Egidius obsesus, Martino invocato, liberatur.

V. 152-185. P. 151-184. Paralytica puella ad sepulcrum Martini sanatur.

V. 185-218. P. 184-217. Eadem, quum ad pristinos errores divertisset, rursus in morbum incidit.

V. 218-250. P. 217-249. Barbarus quidam fit caecus, dum eripit vi coronam e tumulo Martini.

V. 250-265. P. 249-264. Alius, dum in atrio templi Martini quemdam ferire conatur, gladium in se retrahet.

V. 265-291. P. 264-290. Quidam, dum instrumenta denegat ad extruendum Martino templum, vado merritur.

V. 291-329. P. 290-319. Ampullam oleo plenam ad tumulum Martini defert Perpetuus. Oleum excrescit.

V. 320-337. P. 319-336. Cera sublata e tumulo Martini agros defendit ab aeris injuria.

V. 337-351. P. 336-350. Martinum poeta invocat.

V. 351-369. P. 350-368. Paschae diebus cellulam Martini religiose frequentant.

V. 369-416. P. 368-415. Daemon mare turbat; naufragis succurrit Martinus.

V. 416-461. P. 415-460. Nauta peritus, invocato Martini Deo, salvus ad portum venit.

V. 461-500. P. 460-499. Quidam delata cera e tumulo Martini arcet incendium a sua domo.

V. 500-506. P. 499-505. Poematis conclusio.

VERSUS PAULINI DE VISITATIONE NEPOTULI SUI

V. P. 1-21. Deo grates agit poeta.

V. P. 21-29. Nepotulus Paulini et puella illi nubenda graviter febre laborant.

V. P. 29-39. Paulinus chartam accipit a Perpetuo, episcopo Turonensi.

V. P. 39-48 Eamdem Nepotuli pectori imponit.

V. P. 48-68. Exsilit sudor; febris recedit.

V. P. 68-76. Puella petit chartam ; denegat juvenis ; ambo, dum inter se altercantur, curantur.

V. P. 75-80. Grates agit Martino poeta.

EPIGRAMMA BASILICAE MARTINI

*apud Turones inscriptum
super ostium a parte Ligeris.*

DE ORANTIBUS

V. P. 4-5. Quisquis patitur causam Martino committat.

V. P. 5-9. Martini virtus humanis limitibus concludi nequit.

V. P. 9-13. Qui Martini quaerit opem , coelum mente petat, illucque perquirat patronum.

V. P. 13-22. Omnia quae in sacris libris narrantur miracula instauravit Martinus.

V. P. 22-25. Qui flens ad tumulum Martini venit, laetus redit.





CAPUT TERTIUM

§ I. — **Quinam post Sulpitium Severum oratione de Martino scripserint.**

§ II. — **Quinam post Paulinum Petrocorium vitam S. Martini versibus describendam sint aggressi.**

§ III. — **Quid ad cantus sive sacros sive profanos contulerit Legenda sancti Martini.**





CAPUT TERTIUM

- § I. — **Quinam post Sulpitium Severum oratione de Martino scripserint.**
- § II. — **Qniam post Paulinum Petrocorium vitam S. Martini versibus describendam sint agressi.**
- § III. — **Quid ad cantus sive sacros sive profanos contulerit Legenda sancti Martini.**
-

§ I. — Si quis omnia Sulpitii Severi de Martino opera, Vitam, scilicet, et Dialogos, et tres ad Eusebium, Aureliumque et Bassulam epistolas legerit, eisque subnexuerit Paulini Petrocorii sextum librum et carmen de Visitatione Nepotuli, totam magni Turonensis episcopi vitam, ejusdemque miracula, quae ab obitu ad annum circiter 472 gesta sunt, habebit.

Sequenti autem saeculo, omnium primus Gregorius Turonensis quatuor novos miraculorum libros scripsit⁴.

* Vid. Dom Ruinart : *de Virtutibus aut de Miraculis Martini.*
Parisiis 1699.

Ebert. op. cit. p. 610

Lecoy de la Marche, op. cit.



In primo quidem pleraque iterum retulit quae jam in sexto suo transcripserat Paulinus Petrocorius. In secundo autem et duobus aliis ea narrat miracula quae ad tumulum beati viri ab anno circiter 472 ad annum 595 gesta sunt, quaeque neque Severus neque Paulinus noster attingere potuerant, ut ipse satis ingenue testatur: « Hoc erit scribendi studium, inquit ¹, quod in illo Severi aut Paulini opere non invenitur insertum ». Numen Dei quoque testatur se saepius divinitus admonitum fuisse, ut nova haec Martini miracula memoriae mandaret.

Horum autem pleraque ad curationes quasdam portentosas referuntur, quae Gregorii piam mentem potius quam judicium commendant.

Post Gregorium Turonensem nulla jam peculiaria de Martino documenta invenire est. Nec tamen defuere qui aut Sulpitii narrationem in breve coegerint, aut recentiora quaedam miracula, prout singula ad eorum aures pervenerint, descripserint.

Inter illos recensendus est octavo saeculo Alcuinus, inclytissimus ecclesiae Turonensis abbas, qui, amputata hinc atque inde Sulpitii narratione, summarium quoddam vitae S. Martini confecit homiliamque in ejusdem natales recitavit ².

¹ Lib. 11. cap. 2.

² Duchesne: *Alcuini oper. I. 1937: Liber de vita et homilia in natalem S. Martini.*

Lecoy de la Marche: *S. Martin*, p. 615, n. d. 1.
La vie des saints composée sur ce qui nous est resté de plus

Saeculo autem sequenti S. Odo, cluniacensis abbas, tractatum scripsit de *Reversione B. Martini a Burgundia*¹. Alterum quoque libellum de *Adustione B. Martini ecclesiae* composuit. At nihil aliud nisi monachi cujusdam, qui quadraginta ante annis scriperat, opus breviter contraxisse videtur.

Non praetereundi sunt eodem fere tempore Herbernus², oratorii *Septem Dormientium*³ primum custos, deinde post Adalardum, anno 890, Turonensis

autentique et de plus assuré dans leur histoire, t. vii. p. 455.
Parisiis, ap. Herissant, an 1739.

¹ B. Martini corpus, metu Normathnorum, a canonicis Turonensibus Aurelianum primum, inde ad S. Benedictum (*S. Benoit S. Loire*), inde Clabeianum (*Chablay*) et Antisdorū translatum erat, an. 852. Vid. Baron., An. l. x. Migne, t. 133 p. 516. ex biblioth. Cluniac. — Mabillon, An. t. iii. — Lecoy de la Marche, ibid. — *La Vie des Saints*, etc., p. 456. t. vii.

² Obiit an. 916.

³ V. Fabulam *Septem Dormientium*, quoniam plurimum valuit apud christianos medii aevi scriptores et poetas, paucis exponere verbis visum est. Qui beati viri consobrini ex Pannonia olim venerant, ut, Martino duce, monasticam vitam agerent. Martinus autem, postquam ad coelum migraverat, eis tamen baud semel apparuerat. Nonnullis vero post annis, in nocte quae festum suum secuta est, eos per somnium horatus est, ut peccata sua confiterentur, praedixitque illos hac ipsa nocte decessuros atque ab angelis et semet ipso ad coeli fores accipiendo esse. Quae quidem, ut praedixerat, acciderunt, idoque Septem Dormientes vocati sunt quod eorum mors tranquillo somno simillima visa est.

episcopus, cui liber adscribitur *de miraculis S. Martini post translationem*¹; neque Ratbodus, Ultrajectinae urbis episcopus², qui libellum de *quodam S. Martini miraculo* scripsit³; neque Vincentius Bellovacensis, qui nonnulla ex Sulpitii et aliorum scriptis exhausit atque in « *Speculum* » suum inseruit⁴.

Multa etiam extant nondum edita in Bibliotheca Parisiensi Sulpitii summaria, quae, quum plus otii nactus ero, libenter recensebo⁵.

Inter varia autem Hildegardis, inclytissimae mulieris, opera, quae multis ex codicibus recensita nuper edidit cardinalis Pitra⁶, doctissimus vir, epistolam

¹ Huic etiam nonnulli tribuunt *Tractatum de reversione S. Martini*, qui in biblioth. cluniac., sub Odonis nomine vulgatus est.

² Obiit an. 918.

³ Salmon: *Supplément aux chroniques de Touraine*. — Mabillon, act. t. III, p. 244. — Lecoy de la Marche, p. 615. — Hoefer: Nouv. biog. gén.

⁴ Vid: *Speculum historiale*, XIII, 13; XVII, 10, 19; XVIII, 19, 34; XX, 57. — Quod quidem opus a Johanne du Vignay sub hoc titulo « *Miroir historical* », Parisiis, an. 1495, primum gallice transcriptum est.

⁵ Vid. praesertim codd. 818, fo 286 (XIII^o saec.); 7019, fo 129 (XIV saec.); 7019 (XIII^o saec.); 7023, fo 83 (XIII^o saec.); 23 112, fo 234 (XIII^o et XIV^o saec.)

⁶ *Analecta sacra spicilegio Solesmensi parata edidit Joan. Bapt. card. Pitra, episcopus Tusculamus, s. e. r. bibliothecarius*, t. VIII. *Nova S. Hildegardis opera*, p. 369. Parisiis ap. Jouby et Roger, an. 1882.

invenimus de *Excellentia beati Martini*⁷. En ejus epistolae summarium: « Ex visione colligitur S. Martinum esse aequiparandum insignioribus inter prophetas, apostolos, martyres, confessores, pontifices, virgines, coelestesque spiritus⁸; unde porro salubria monita deducuntur; tum monialibus attribuuntur ostensa per visionem rosae, lilia, balsamum, pigmenta varia, Guiberto autem cervi imago adscripta exponitur; postremo judicia Dei graviter intentantur ».

Juvabit fortasse ejus epistolae, quam non alibi nisi in card. Pitrae recens facta collectione invenias, prologum legisse.

« Anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi MCLXXVII, quum infra octavas ipsius, scilicet S. Martini, divinae contemplationi, quantum Christi munere poteram, insisterem, vidi pulcherrimam imaginem quasi hominis, de qua maxima claritas aurei et ignei coloris procedens, laeta in circuitu suo, lucidissimum splendorem ex se reddebat. In eadem quoque claritate apparebant rosae et lilia, et omnia genera pigmentorum, et etiam cervus¹, elevatus

⁷ *Epistola domnae Hildegardis, magistrae coenobii S. Roberti Pingentis, de excellentiia, etc.*

⁸ Eadem jam sententiae legenti occurruunt in epistola Sulpitii ad Aurelianum presbyterum.

¹ « Aut ego fallor, aut cervus ille typus est ipsius Guiberti (Gemblacensis abbatis, Hildegardi conjunctissimi) qui suspenso pede paulatim lotus et alacer cum cervo currit, sed

» capite et cornibus, quasi ad currendum expeditus
» et quodam fumo, velut ex lignis clibani ardentibus
» progrediente, circumdatus. »

Haud semel Martino in suis operibus allusit mulier,
nil tamen, ut et ceteri omnes, quos supra commemo-
ravimus, nisi fabulas aut credulae mentis somnia
edidit.

Eodem vero fere tempore Guibertus, Gemblacensis
abbas, et Hildegardis amicus, peculiaribus suis inves-
tigationibus novum atque historicum opus de Martino
excudere aggressus est. Qui quidem beatum virum
tanta colebat veneratione ut a ceteris monachis Gui-
bertus-Martinus vocaretur. Longum itaque, ut olim
Sulpitius, suscepit iter, Turonicamque civitatem adivit,
eaque omnia loca invisit quae sanctus vir miraculis
olim illustraverat. Ibi, quum inter canonistas ecclesiae
Turonensis et Magis Monasterii coenobitas saepissime
versaretur, omnia diligenter exquisivit quae ad Mar-
tini vitam miraculaque pertinerent. A longo tandem
itinere redux duos libellos, unum quidem versibus, de
quo fusius infra dicetur, alterum vero prosa com-
ponere coepit. Quis vero credat Guibertum, post tot et
tantas disquisitiones non grave et certis fultum testi-
moniis opus condidisse? Attamen nil fere aliud nisi
narrata jam a Gregorio Turonensi et Odone et multis

ne nimium exultet, postmodum aspera monita et tremenda
de superbis exaggerat, et de divinis judiciis ». Sic. card.
Pitra, in not.

aliis recollegit atque transcripsit ¹, ut ipse fatetur in epistola ad Philippum, Coloniensem episcopum ², quum haec de libello suo dicit: « etsi aliqua, quae in illa ejus notissima non leguntur vita, inserui miracula, ammonita certum habeat Sanitas vestra, nihil omnino me, quod non alicubi scriptum invenierim, posuisse ».

Extat autem cujusdam monachi ad eundem Gui-

¹ En titulos quibus ratio et materia totius operis facile deprehendi possunt.

Incipit opus prosaycum Guiberti, Abbatis Gemblacensis, de vita et miraculis beati Martini, Turonensis archiepiscopi et confessoris, ultra ipsius gesta toti orbi notissima, ad instantiam Sigfridi Moguntini et Philippi Raseburgensis pontificum, ex diversis ac disaggregatis collectum, et in duos libros partitum.

Liber primus est de nobilitate et excellentia beati Martini, ac de quibusdam miraculis quae vivens adhuc in carne exercuit, ultra ea quae a Sulpitio Severo descripta sunt.

Incipit liber secundus de his quae post transiitum beati Martini e mundo, vel ad sepulchrum ejus, ex quo scriptores miraculorum ejus ea scribere desierunt, vel in aliis locis, per ecclesias nomini ejus dicatas, meritis ipsius divina dignatio operata est... Quae sequuntur postmodum ab aliis edita sunt.

Ex codd. 1510-19, 5337-92, biblioth. Bruxel.

Vid. Lecoy de la Marche, p. 617.

² Prologus Guiberti monachi, postmodum abbatis Gemblacensis, ad Philippum Coloniensem episcopum, in sequens opusculum, in quo videlicet tota vita ac transitus beati Martini secundum priorem historiam operose describitur.

Card. Pitr. *Oper. S. Hildeg.*

bertum epistola¹, in qua duo narrantur Martini miracula quae batavica quadam non carent lepiditate. Die quadam duo viri scholares ex Scotia domum redeuntes, Ypram, pridie feriarum sancti Martini, venerunt, ecclesiamque ingredientes beati viri patrocinio consecratam, a clero hospitium petiverunt. A clero autem despectos et jam ultra progressos patronus ipse ecclesiae prosequitur, reverentesque alloquitur, et dicit: « Vultis hospitem? Sequimini... » Subsequentes illum extra urbem progressi sunt, locumque intraverunt amoenissimum « praeter naturam temporis ». Tum vero « conspiciunt flores, rosas et lilia, et eorum percipiunt odores: viror amoenus, aer serenus, hospes melliflua charitate plenus ».

Intempestae autem noctis silentio, dives quidam indigena, domum concitato equo rediens, ut cum familia festum Martini ageret, audivit tumultum congaudentium, atque ingressus mirabatur dicens: « Unde vobis ista mansio? Nudiustertius quum huc transirem, non crat ». Respondit hospes: « Meum est domicilium mea solemnitas: Mane nobiscum, et utere bonis ». Mansit ille donec diluscesceret: orto sole, evanuere hospes et hospitium².

Erant autem medio aevo in omnibus fere monasteriorum bibliothecis peculiaria de Martino collectanea

¹ Epist. ad Guibertum *de duplice miraculo S. Martini*, — Card. Pitra. ibid.

² Vid. et. Lecoy de la Marche, in app.: *Légende de S. Martin d'Ypres*, p. 691.

quae gallice *Martinades vocabantur*¹. Quod quidem scriptorum genus, quod ab octavo ad xvi saeculum apud monachos plurimum valuit, opera Sulpitii omnia, quatuor Gregorii de Miraculis Martini libros, Septem Dormientium fabulam, homiliam Alcuini, variaque Odonis et Ratbodi et Herberni de Martino opera, litteras quoque Guiberti Gemblacensis, atque interdum Fortunati et Richerii et nonnullorum aliorum poetarum versus continebat².

Minutis saepe picturis ornata erant opera illa, et quam splendidissime conglutinata. Immo et in uno ex illis volumine³ quoties Martini nomen occurrit, toties rubris et aureis litteris resulget.

Nec defuere olim qui vernaculo, hoc est, gallico sermone Martini gesta referre sustinuerunt, ut Pean Gastineau⁴ et Jacobus de Voragine⁵, qui lepida prosa

¹ Inter cetera autem Martinalia commemorantur quae sunt in bibliothecis Spinalensi, sub n. 135; Metzensi, sub n. 304; Bononiensi, sub n. 105; Turonensi, sub n. 1023; Parisiensi, sub n. 9734.

² Nonnulla jam ex istis collectaneis opera typis mandata sunt, ut ea quae in biblioth. Turon. n° 235 degent, quaeque Parisiis, an. 1511 edita sunt.

³ Biblioth. Paris. ms. n. 9734.

⁴ *Vie de Mgr St Martin.* (Ed. Bourassé, Turon. 1860, in-8°).

Les enquête de Posthumien. (id. id. 1863, in-8°).

Les beaux miracles de Mgr St Martin. (Ed. Chevalier, Turon. 1874, in-8°).

⁵ *Aurea legenda.* Parisiis, 1405, apud Wolfgang et Hopyl, impensis Houtmarti, Bruxellensis librarii.

Légende dorée, 1846, p. 741 et seqq.

multos quidem de beato viro versus transcriperunt, nil vero novi ejus vitae addiderunt.

At, ut longiori illi scriptorum commemorationi finem faciamus, breviter recensendi sunt Joannes d'Assignies¹, Petrus Menander², Bechmann³, atque omnium celeberrimus Dom. Gervasius⁴, cuius opus, quamvis historicis nostrae aetatis studiis jam non respondeat, quum multa tamen de Martino nova attulerit documenta, dignum est quod doctorum viorum gratiam retineat.

Neque nostra aetate practereundi sunt Dom Dupuy⁵, doctor Reinkens⁶, Dom. Chamard⁷, benedictinus Ligugensis, doctor Riha⁸, Budweis, theologiae professor, atque tandem Lecoy de la Marche⁹, qui cetero-

¹ *Recueil de la vie et des vertus et perfections de St Martin, tiré des plus graves auteurs.* — Douai, 1625.

² *Vie de St Martin*, 1656, edit. in Maan. (Hist. des Arch. de Tours, 1667).

³ *Disputatio inaug. de Martino, ep. Tur.* (Iéna, 1697).

⁴ *La Vie de St Martin, évêque de Tours avec l'histoire de la fondation de son église (etc).* Paris, 1699, in-4°.

⁵ *Hist..de St Martin.* Turon. 1853, in-8°.

⁶ *Martin von Tours.* Breslau, 1866, in-8°.

⁷ *St Martin et son Monastère de Ligugé.* Paris, 1873, in-12.

⁸ *Zivot s.v. Martina Turonskeho.* Budweis, 1878, in-8°.

⁹ *St Martin*, par Lecoy de la Marche, archiviste paléographe, professeur à l'Institut catholique de Paris. — Tours, Mame, 1881, in-4°, 736 pag.

rum omnium opera studiosissime digessit, codicesque multos magna cura recensuit, librumque et mole et opera conspicuum, et innumeris ex veterum monumentis picturis illustratum edidit. Unde et de illo, quod olim de Perpetuo Sidonius Apollinaris, merito dici potest : « Magnum opus, nominandumque ; quod in honorem talis viri talis vir fecisse debuerit ¹ ».

§ II. — Eodem quo Paulinus Petrocorius tempore, Sidonius Apollinaris Perpetuo, episcopo Turonensi, cui conjunctissimus erat ², epigramma quoque mittebat basilicae S. Martini parietibus exculpendum. Ille quidem, ut ingenue fatetur ³, timebat ne versibus suis turparentur parietes, nisi forsitan inter omnia venusta sic epigrammatis foeditas, ut niger naevus candido in corpore. Huic autem sententiae prorsus non assentatus est Perpetuus qui Paulini quidem Petrocorii versus « super ostium a parte Ligeris », Sidonii vero epigramma in ipsa basilicae abside inscribendum curavit. Pluris igitur, ut vides, Sidonium quam Paulinum nostrum hoc iam tempore faciebant. Nec tamen Paulini versus Sidonii distichis multo mihi impares esse videntur ⁴.

¹ Lib. iv, epist. v.

² Vid. lib. vii, epist. v. « *Sidonius Domino papae Perpetuo* ». Baret, œuvres de Sid. Apol. p. 362.

³ Lib. iv, epist. v.

⁴ Lib. iv, epist. v, id. et. Corpet, p. 229.

Quis post Paulinum Petrocorium, qui Sulpitii Severi materiem versibus jam transcripserat, futurum fuisse putaret ut aliud poema de vita Sancti Martini excuderetur? Attamen, centum post annis, Venantius Fortunatus, hanc Severi penitus exhaustam tellurem confodere aggressus est, atque ex illa excerpere unde quatuor versuum libros compleret¹.

Quam insolentiam cui causae referrent nescientes Benedictini contenderunt opus Paulini, quasi rarissimum eo tempore fuisse, non innotuisse Fortunato. Male quidem, fateor, Paulinum noverat Fortunatus, siquidem illum cum Nolano confuderit, sed fieri non potest quin poema ejus non legerit. Quomodo enim, nisi legisset, versibus ejus allusisset?

Quin immo multi sunt apud Fortunatum loci in quibus Paulino aemulari voluisse videtur, nonnullosque versus invenias qui imitationem prorsus redoleant².

¹ Vid. Ebert., t. I, p. 572.

² Hos tantum sequentes versus ex utroque eruere satis visum est, quibus plane constat Fortunatum, si Paulini libros, dum componeret, sub oculis non habuerit, illos saltem saepissime legisse, tamque alte memoria tenuisse ut scribenti quasi invito voces illius occurrerent.

Paul. I. 240.. Ab insano quod fuderat Arrius ore...

Fort. I. 108.. Sacrilego quod fuderat Arrius ore...

Paul. I. 367.. Dum contiguum Lupicini praeterit
[agrum...]

Fort. I. 179.. Lupicini demum celerans dum praeterit
[agrum...]

Omissa igitur Benedictinorum opinione, alteram ego scribendi causam praetendere ausim. Priorum enim quinque saeculorum poetae, vestigia veterum, quorum versibus quasi imbuti erant, prudenti gradu subsequebantur, ut in plerisque eorum operibus non-nihil elegantiae illius invenias quam apud scriptores augustae aetatis mirari juvat. Ineunte autem sexto saeculo, quum res gallicae jamdudum permiscerentur ac de salute potius quam de litteris cogitandum esset, abierat paulatim exulti sermonis studium et priscorum memoria poetarum, ut ea latina lingua, qua Paulinus noster gesta Martini narraverat, barbararum vocum colluvie polluta, omnigenisque sordibus obsoleta, a plerisque jam non intelligeretur. Unde necesse erat vitam Martini alio dicendi genere referri, quale scilicet ab incultis rudibusque ejus aetatis hominibus caperetur.


Quid vero in his immoramus conjecturis quum Fortunatus ipse curaverit ut incepti operis causam expressis proferret verbis? Ille enim, ut olim Nolanus episcopus, gravi oculorum morbo laborans, Ravennam civitatem petiverat, ea spe adductus ut in templo S. Martini sanaretur. Spoponderat autem, si res votis

Paul. II. 570.. horribilem daemonis umbram,
Arrepto saevire coco

Fort. I. 452.. Terribilem.... daemonis umbram
Arreptoque coco....

Paul. III. 496.. Tartareo transfoderat inguina cornu..

Fort. II. 459.. Laxato foret, inguina cornu...



successisset, se apostolici viri vitam rursus versibus transcripturum. Neque illum pia spes fefellit. Vix enim oleo lampadis, quae ad tumulum Martini erat, suos unixerat oculos, quum subito lux ei reddita est, ut ad calcem poematis ipse testatur¹.

Non dissimulandum est illud Fortunati poema omnium quae scripsert in cultissimum esse. Quam vero ejus vitii excusationem affert, quod, scilicet, inter bimestre spatium in messe illud composuerit, admittere recusamus, quoniam tempus, ut ait hodiernus poeta, nil ad rem attinet.

Illud enim Fortunato criminis merito vertunt quod interdum brevior, interdum autem prolixior est, ut temperamento justoque careat in componendo moderamine. Interdum enim id tantum assequi voluisse videtur ut Sulpitii materiem, mutatis hinc inde, tironum instar, vocibus, versuum quantitati pedibusque subjiceret.

Tum vero ita obscurus fit ut illum, remoto Sulpitio, vix queas intelligere, ita autem siccus et jejunus, ut album et indicem potius quam poema finxisse credas.

Interdum autem, atque in his praecipue locis quae Paulinus non prolatanda merito judicavit, quasi humidis ac lapsantibus profluit verbis, cuiusmodi

¹ Lib. iv, v. 692 et seqq.

At praeter poema illud quod duobus versuum millibus et amplius constat, nonnulla alia pusilla carmina in Martini honorem scripsit, quae in variis biblioth. Patr. editionibus vulgata sunt.

apud veteres dicebantur in ore nasci non in pectore. Sic, dum se ab altero extremo sollicite proripit, concepto semel impetu, transilit medium, extremumque alterum carpit.

Alias vero longam ac ridiculam geographicorum nominum seriem, quibus gaudeant ii tantum qui describendae terrae incumbunt, in ostentationem eruditio-
nis dedit, ut eum merito credas hoc sibi interdum proposuisse, legentem scilicet huc et illuc ab ortu ad occasum circumferre¹.

Adde etiam quod in argutias et detestanda verbo-
rum acumina saepius effertur et in describendis rebus
nonnunquam putide ludit².

¹ Vid. lib. II. 72 et seqq.; lib. III. 488 et seqq.; lib. IV. 636 ad finem.

² Haud raro fit ut tria, quatuor atque etiam quinque verba in eodem versu congregata invenias, quae, quum ex eadem origine profluant, earumdem litterarum repetitione quasi crepitum quemdam, peculiaremque ac plane insolitam red-
dunt concinnitatem :

Ne timeam timidum timor est Deus arma timentum. I. 99.
Dum rapit eripitur rapienda rapina rapaci. I. 347.
Unde probanda probo, reprobo reprobantia probra. II. 330.

« Quant à la diction et au style, le poème de Fortunat se distingue essentiellement de celui de Paulin ; le récit du dernier est aussi simple que celui du premier est préten-
tieux. Pour faire plus d'honneur à son patron, Fortunat a fait ici appel à tous les artifices de sa rhétorique, métapho-
res, images, comparaisons poussées jusqu'au pathos, anti-
thèses et jeux de mots de toute sorte... ».

Ebert., trad. Aymeric et Condamin., t. I, p. 576.

Nullum dubium est quin, vel post Fortunatum, subsequentibus saeculis, alii multi in versificanda Martini vita se oblectarint, quorum opera aut penitus interierunt aut etiamnum in tenebris delitescunt. Quae autem nobis quocumque modo innotuerunt breviter commemorabimus.

Extat anonymi cujusdam, decimo et primo saeculo viventis, breve de Martino poema, sexaginta et quinque hexametris constans versibus, in qua nil peculiare deprehendas nisi quod insolito metrorum id aetatis genere scriptum est¹. Jam enim actum erat de hexametris versibus et omnibus illis regulis in quibus quasi in angusto carcere inclusae erant veterum sententiae.

Omnium primus Elfridius, Yorkensis episcopus, veterno se jugo exuit. Illius enim versus, nostrorum more Alexandrinorum, duodecim constantes syllabis, duobus se junguntur aequis partibus seu hemistichiis, quorum fines eundem referunt in cadendo sonum, ut ex sequentibus videre est :

¹ Invenitur in collectaneis D. Th. Philipps, n° 1826, et in bibliotheca Turon. cod. 1281, f° 56. En ejus carminis primi et ultimi versus :

Immortale decus Martini praesulis almi,
Quod pius in terris hominum Salvator honori
Contulit, o socii, modulemur carmine dulci....
Ut tibi coelestis pateat famulantibus aula,
Et nostris precibus tribuas per saecula salutem.

Olim haec transtuli sicuti valui,
Sed modo precibus obstrictus plenius,
O Martine sancte, meritis paeclare,
Juva me miserum, meritis modicum,
Caream quo naevis mihi met nocuis,;
Castiusque vivam, nactus jam veniam¹.

In hoc autem versuum genere, quod gallicam jam redolet versificationem, audentior adhuc fuit Richerus², S. Martini Metzensis abbas. Ejus enim versus quorum alter quoque cum altero subsequenti eundem reddit in cadendo sonum, nunc duodecim, nunc quatuordecim³, immo et quindecim syllabis, neglecta omnino quantitate, constant. At (quod magis mirum est) duplex saepe est in unoquoque versu syllabarum concinnentia, ut tres versus, uno tantum audito, habere putas. Exemplum habes ex duobus sequentibus :

Omnis homo qui de domo cupit esse Domini,
Deo datus, literatus, quisque subest ordini...

¹ Guest : *History of english rhythms*, II. 405.

Edelestand du Méril : *Poésies populaires latines antérieures au XIII^e siècle*, p. 169, not. 2.


Lecoy de la Marche, p. 621.

² Obiit Richerus an. 1157.

³ Ut ex his deprehendere est versibus, quibus incipit poema :

Scripturus vitam
Sancti Martini

bonitatum laude politam
pontificis Domini....



quos sic transcribere possis :

Omnis homo
Qui de domo
Cupit esse Domini,
Deo datus
Literatus
Quisque subest ordini....

Interdum autem sexdecim syllabas continent ejus versus, duobus hemistichiis aequae partitas, quarum alia, ut apud Elfridum, cum altera consonat. Hoc quidem genere versum, quos *leoninos* vocant, prosam transcripsit, qua olim Gregorius Turonensis¹ basilicam S. Martini a Perpetuo restitutam descripserat².

Eodem fere tempore, duodecimo scilicet saeculo, ultimum aliud in honorem sancti Martini poema scriptum est a Guiberto Gemblacensi, cuius prosaicum opus jam supra commemoravimus.

Dolet equidem ille³ quod, incenso per intestina bella monasterio, perierit poema. At, quum saepissime Hildegardi, Coenobii S. Ruperti magistrae scribe-

¹ Hist. Franc., lib. II, c. 14.

² Sancti patris basilica dives, recens, authentica
Locus vere terribilis, angelicus, optabilis, etc.
Vid. Brower, in secunda operum Fortunati editione.

Moguntiae, 1617, in-4°.

Don Calmet : *Bibliothèque Lorraine*, p. 820.

Hist. litt. de la France, t. XII, Avertissement. p. ij, iij.
Corpet, p. 227.

³ Vid. Dom Bouquet. xviii.

ret, accidit sane ut poematis sui nonnullas partes, tanquam grata specimina, miserit, quae inter opera venerandae abbatissae in bibliotheca Bruxellensi servata sunt¹.

Carmen illud in quatuor partes dividitur, ejusque versus octo syllabis constant, quarum ultima prioris cum ultima subsequentis versus consonat, ut statim videre est :

Christi miles magnanimus,
Martinus, actu splendidus,
Qua fulserit militia
Quae tulerit et praemia,
Ad regis ejus titulum,
Et posteris ad exemplum,
Laudum herois avidus
Referre gestit animus.... etc².

§ III. — Peculiarem locum antiquitus obtinuit Martinus inter sacra illa et sublimia scripta quae in ecclesiis aut legebant sacerdotes aut canebant Christiani, ex quorum summa exstitit liturgia. Tota in ejus

¹ Codd. 1610 et 5527. Nonnullos ejus poematis versus, paucis abhinc annis, edidit de Reiffenberg : *Annuaire de la Bibliothèque royale de Belgique*, vii^e An. p. 56.

² Nonnullos forsitan juvabit hoc carmen legisse, quod nusquam alibi nisi in Analectis card. Pitiae, satis pretioso opere, invenire est. Quapropter illud ad calcem operis referre visum est, ne nimia mole haec pagina gravaretur. Vid. ad App. litt. A.

honorem conscripta sunt olim et etiamnum extant officia, in quibus explorandis non immorabimur¹, sed statim ea inquiremus quae ad poesim et hymnos rythmice editos spectant.

Omnium forsitan ecclesiasticorum de Martino hymnorum antiquissimus est ille, quem Ambrosio ipsi, Mediolanensi episcopo, nonnulli adscribunt, quiue his incipit versibus :

Bellator armis inclytus,
Martinus actu nobilis,
Quae gesserit miraculis
Hymnis canamus debitis².

Qui quidem hymnus versuum elegantia quadam et carminis genere haud plane Ambrosio indignus est. Carmen est enim iambicum, dimetrum, quale in quatuor hymnis deprehenditur, quos Ambrosio jure tribuunt. At in illo inest nescio quid, quod jam subsequentium saeculorum depravationem redolet. Adde quod Ambrosius Martino vix uno aut altero anno supertes fuit, ac pro certo habebis hunc hymnum non

¹ Vid. de his officiis, Lecoy de la Marche, p. 595 et seqq. Ménard : *Acta SS. septem*, VIII, 655. Chevalier : *Origines de l'Eglise de Tours*, p. 509. Pascal : *Dict. de Liturgie*, etc.

² Vid. Migne : *Patrologie*. t. XVII, p. 1218, *Hymnes attribuées à S. Ambroise*.

Ellinger. *Hym. eccles.* lib. 3 p. 301.

Hunc hymnum nos quoque in cod. 5583 bibliothecae Parisiensis recensuimus, nonnullasque variantes excerptsimus quas ad calcem operis invenies, si legere libet. sub. litt. B.

Mediolanensi episcopo adscribendum esse. Quod rursum evidentissime liquebit, si animadverteris nonnullis in strophis jam recurrere syllabarum desinentium concinnitatem, quam non ante nonum aut decimum saeculum in ceteris hymnis invenimus. Neque, ut nonnulli voluere, Sedulio aut Ennodio, episcopo Ticinensi, qui saeculo sequenti vixit, hymnus ille tribuendus est.

Extat tamen ejusdem Ennodii in honorem Martini hymnus, triginta et duobus constans versibus, cuius eadem est carminis ratio :

Cum gesta Martini loquor,
Nil laude dignum transeo :
Divisa virtus omnibus
Unum coacta praetulit ¹...

Saeculo autem sequenti ², Isidorus, Sevillensis episcopus, hymno quoque Martinum laudavit ³, iambicis conscripto, ut liquet ex sequentibus versibus, quibus incipit :

Martine, confessor Dei,
Valens vigore spiritus,

¹ Vid. Sirmond: *Ennod. op.* t. I. col. 1836.

Migne : *Patrologie* t. 63. p. 334. *Ennodii, episcopi Ticinensis, Hymnus xi de S. Martino.*

² Obiit Ennodius an. 524, Isidorus an. 636.

³ Vid. *Breviarum Gothicum*, secundum regulam beatissimi Isidori, jussu card. Francisci Ximenii de Cisneros prius editum, nunc opera D. Francisci Antonii Lorenzanae, S. Ecclesiae Toletanae Hispaniarum primatis Archiepiscopi recognitum, ad usum sacelli Mozarabum. Matrii, anno 1775.

Carnis fatiscens artubus
Mortis futurae praescius...

Nil quidem peculiare in omnibus illis hymnis invenias. Hoc tamen commendantur quod Prudentianam aetatem adhuc spirant, quod, scilicet, solito apud veteres metro conscripti sunt.

Exactis vero tribus saeculis, per quod temporis spatium siluisse de Martino christianaे Musae videntur, ad decimum saeculum et Odonem veniamus. Adest jam eo tempore versuum concinnentia quae nostram aetatem praesagit.

Tres hymnos in Martini honorem scripsisse dicitur Odo, quorum unum tantum retulit monachus Joannes, qui vitam illius libello narravit. En prima ejus hymni stropha, in qua facile deprehendes inane illud Odonis studium, quo in antitheta et contrarias sententias saepe ferebatur.

Rex Christe, Martini decus,
Hic laus tua, tu illius.
Tu nos in hunc te colere
Quin ipsum in te tribue ¹.

Ultimam quoque stropham legas velim in qua Martinum orat, ut « clericorum ordini paene lapsi » subveniat :

Ut specialis gloriae
Quondam recorderis tuae;

¹ Vid. ad calcem operis, sub litt. C, hunc hymnum, cum riantibus quas ex cod. Parisiensi eruimus.

Clericorum nunc ordini
Jam paene lapso subveni.

Nonne ad hoc Nostrates stupeant?

Dicitur et Odo alterum hymnum servo suo ¹ dictasse, quum jam in extremis esset ². Carmen est dicolon choriambicum Asclepiadeum hypercatalecticum, consans spondeo, duobus choriambicis et anapesto aut tribracho. Post tertium quemque versum recurrit iambicus, ut exemplum habes ex prima stropha :

Martini renidet en speciosa dies,
Qua scandit modicus dives Abrahae sinus,
Concentusque poli obvius astat ei :
Nos hymnis nunc honoremus ³.

In eodem autem Parisiensi codice nonnulli alii, antiquissimi quidem ac nondum editi, inveniuntur hymni, quorum primus puris iambicis conscriptus est. Ejus carminis ratio eadem est ac illa qua saepissime usus

¹ Servus ille Tetolo vocabatur. Suum enim nomen transcribendum curavit iu ultima, parum quidem concinna, carminis illius stropha :

Misertus Domine, quos enutristi pie,
Semper misericors, misericordissime
Tetolonis servi ceterisque tuis
Miserere, o Martine.

² Odonis famuli hoc opus qui condidit
Emigrans de saeculo.

³ Mabill. *Annal.* t. III, ad append. p. 712.

Migne. *Patrologie*, t. 133, p. 516. *Hymnus in honorem S. Martini a S. Odone in extremis compositus.*

est Prudentius. Quamobrem eum ad sextum aut septimum saeculum referre haud dubitamus.

In laude Martini, Deus,
Te laudat omnis grex tuus
Coelo facis quem paecluem,
Terris ubique coelebrem ¹.

Sit laus tibi, rex gloriae,
Qui comis hunc tam splendide,
Ut unus inter maximos,
Micet per orbis terminos.

Sermone, signis, opere
Praeceluit ² mirifice
Ut grande nimis meritum
Est gemma dictus presulum ³,

Decorus ipso transitu
Decorat coeli pes ⁴;
Snuque dives Abrahæ
Non respuat nos pauperes ⁵.

¹ *Coelebrem*. Sic in v. c. Hanc stropham jam ediderat E. du Meril : *Poësies populaires latines antérieures au XII^e siècle*, p. 169, not. 2.

² *Praeceluit*, pro *praecelluit*, sic. in v. c.

³ *Presulum*, pro *praesulum*, sic. in v. c.

⁴ *Principes* sane contraxit in *p̄es*.

⁵ Sic forsitan logendi sunt versus ultimæ strophae :

Decorus ipso transitu, decorat coeli principes,
Snuque dives Abrahæ non respuat nos pauperes.

Qui autem in codice sequitur hymnus minus antiquus est. Quantitatem enim poeta, quisquis est, ut observaret parum curavit. Illud autem notatione dignum est, quod scriba litteram **m** in **p** vertit, ut apud gallicos medii aevi scriptores.

O Martine piissime!
Te postulamus devote,
Juncta caterva presulum.

Ut tuis fulti precibus.
Vitemus omne facinus,
Mundi tepnamus noxia.
Coeli sequamur gaudia.

Ne (?) veniente Domino,
Dierum in novissimo
In Tartara cum reprobis
Voce dapnemur judicis.

Laus Trinitati debita,
Honor, potestas, gloria
Perenniter sit omnia
In saeculorum saecula.

Tertius autem et quartus hymnus eidem tempori, decimo scilicet saeculo, me judice, referendi sunt. Adest in illis interdum vocalium concursus qui dicitur *hiatus*, spreta saepissime syllabarum quantitate. Adde quod nonnullos versus vix intelligere queas, quoniam codex ab ignaro prorsus scriba deformatus est, et multis depravatus lituris.

In priore quidem Martinum laudat poeta quod mortuos suscitaverit, surdos, caecos et claudos sanaverit,

oratque ut clericis quamquam « reis », subveniat auxilieturque.

Rex Christe tu mirificas
Martinum praesulem tuum
Splendens ut sit et sublimis
Blandus, lenis, pius, dulcis

Quo jubente fugit funus,
Surgens laesus ¹, psallit laetus
Fatur mutus, audit surdus,
Videt caecus, salit claudus.

Tu das ut ubi coleris
Sit notus et amabilis ;
Hinc laus tibi sit perpoetum ²,
Mundo perhenne gaudium.

In sacro ejus transitu,
Coeli frequentant ordines,
Linguae, tribus, colunt gentes,
Da proxit his communiter.

Martine, jam consul poli,
Causas precantium inspice :
Jam intimus comes Dei,
Cunctis quod egent obtine.

Te mundus omnis percolit
Consortum ut apostolis... (?)
Hanc redde singulis vicem,
Placa suum his judicem.

¹ Legitur in cod. *Lasus*. *Lassus* forsitan legendum.

² *Perpoetum*, *perhenne*. Sic in cod.

Complexus olim clericos,
Revise nunc licet reos,
Et simus in memoria,
In speciali gloria ;

Affectus ut ille tuus
Qui nec refutat vel pecus,
Nos corrigat donans tuae
Quod suppetit clementiae


In posteriore autem easdem deprehendere est sententias. Laudatur Martinus quod spretis « carnis » voluptatibus aeternam consecutus sit gloriam, nonnullisque ejus miraculis alluditur.

Hymnum canamus socii,
Devota mente seduli,
Festumque pii presulis
Odis canamus consonis.

Qui spreto mundi principe,
Christi ditatus munere,
Per carnis continentiam
Aeterna tulit praemia.

Hunc laureati proceres
Rite sequuntur alacres,
Quos ille ductor pervius
Ad ethra (aethera ?) duxit coelitus.

Hic ore de paralisi
Curat puellam debilem
Morbique rasit fomitem
Sancti liquoris unguine.



Pacem leproso dans viro
Sordes fugavit ulcerum,
Et quo lavaret morbidum
Jordanis est in osculo... (?)

Idem per orbem cognitus
Ingentibus miraculis,
Possessor almi spiritus
Nunc regnat in coelestibus.

Sit Trinitati gloria,
Martinus ut confessus est,
Cujus fidem per opera
In nos et ipse roboret.

Quintus denique hymnus carmen est saphicum ¹,
cujus pars prorsus periit. Nam, quum vitae et miraculis Martini, ut infra videbis, alludat poeta, nil de ejus primordiis praebet codex, lectoremque in medias res subito rapit, Decidit, ut mihi videtur, una aut altera codicis pagina.

Barbaram paci rabiem subegit,
Vinctum exemit laqueis latronem ;
Plectitur flagris fidei relator ²,
Dulcis amaris.

¹ Hoc est hendecasyllabum, constans trochaeo, spondeo, dactylo et duobus trochaeis. Quartus vero quisque versus Adonius est, constans dactylo et spondeo.

² Cod. *raelator*.

Cassibus ¹ verbis, studio sagaci
Traxit ad Christum tenebris retentos ;
Ter potens functis gelidae resolvit
 Vincula mortis.

Omnium tristes removens querelas,
Omnium fessos recreabat artus,
Omnis excessit ² veniens medela
 Sexus et aetas.

Nempe devictus coluber vetustus
Jus suum liquit, pavitansque cessit,
Quaslibet ³ fallax agitaret artes
 Mille nocendi.

O virum sanctum nimis et beatum !
Ætheris ⁴ cuius niveo nitore
Usibus ⁵ carnis licuit micantes
 Cernere cives.

Duae etiam extant in honorem sancti Martini
sequentiae, seu, ut nonnulli dicunt, *prosaæ* ⁶, quas

¹ Cod. *Cassib.* Legendum puto *cassibus*, nec tamen versum illum plane intelligo.

² Sic lego, pro quo, in cod. *ercessit*. Legendum forsitan *arcessit*; at, quamcumque reposueris vocem, obscura tamen sententia.

³ Male in cod. *quamlibet*.

⁴ Cod. *Etheris*.

⁵ Cod. *Usib.*, ut antea *cassib.*

⁶ *Sequentiae* vero ex constanti usu etiam nomen *prosarum* obtinuerunt. (Gerbert, t. II, p. 26).



in ecclesiis, nondum recitato evangelio, alternis vici-
bus canere olim solebant. Omnia celeberrima illa
est quae ab Adamo de S. Victore duodecimo saeculo
scripta est. Unaquaeque strophæ quatuor constat ver-
sibus, quorum tres priores eundem referunt in
cadendo sonum, quartus vero quisque cum quarto
subsequentis strophæ consonat, ut in sequentibus :

Gaude, Sion, quae diem recolis,
Qua Martinus, compar Apostolis,
Mundum vincens, junctus coelicolis
Coronatur.

Hic Martinus, pauper et modicus,
Servus prudens, fidelis villicus,
Coelo dives civis angelicus
Sublimatur ¹.

Altera vero, prosaico, sed rhythmico tamen, ser-
mone scripta, Notkerio Balbulo adscribitur. Quae
quidem sequentia ab E. du Meril et du Bordier olim
prave relata ², a Lecoy de la Marche pristino tandem
restituta est nitori, ex methodo Leonis Gautier, sacra-
rum litterarum viri peritissimi ³.

Nostris denique temporibus Santeul, insignis sacro-

¹ *Carmina e poetis christianis excerpta.* — Gaume.
Oeuvres d'Adam de St Victor, Gautier, t. II, 312.

² E. du Méril : *Poésies popul. lat.*, p. 466. — Bordier : *Greg. Turon.* op. min. II, 445.

³ Sacerdotem christi.

⁴ Martinum cuncta per orbem canat Ecclesia pacis catho-
licae,

rum carminum auctor, duos quoque hymnos in honorem Martini ad imitationem veterum scripsit¹, quorum unus sic incipit :

- Atque illius nomen onnis haereticus fugiat pallidus.
2. Pannonia laetetur — genitrix — talis filii,
Italia exultet — alitrix — tanti juvenis.
 3. Et Galliae trina divisio sacro certet litigio, cuius esse
debeat praesul.
Sed pariter habere se patrem omnes gaudeant ; Turoni
soli ejus corpus foveant.
 4. Huic Francorum atque Germaniae plebs omnis plaudat,
Quibus videndum invexit Dominum in sua veste.
 5. Hic celebris est Ægypti patribus, — Graeciae quoque
cunctis sapientibus,
Qui impares se Martini meritis — sentiunt atque ejus
medicamini.
 6. Nam febres sedat — daemonesque fugat ; — paralytica
— membra glutinat,
Et mortuorum — sua prece trium — reddit corpora —
vitae pristinae.
 7. Ille ritus sacrilegos destruit et, ad Christi gloriam, dat
ignibus idola.
Hic nudis mysteria brachiis conficiens, praeditus est
coelesti lumine.
 8. Hic oculis ac manibus in coelum et totis viribus suspen-
sus, terrena cuncta respuit.
Ejus ori nunquam Christus abfuit, sive justitia vel qui-
quid ad veram vitam pertinet.
 9. Igitur te cuncti poscimus, o Martine, ut, qui multa
mira hic ostendisti,
Etiam de coelo gratiam Christi nobis, supplicatu tuo,
semper infundas.

¹ Vid. *Breviarium Parisiense* — ad festum S. Martini.
Parisiis, 1715.

Ecquis ardentes rapitur per auras ?
Iste quis pauper petit astra dives ?
Coelites plaudunt : comitemur hymnis
Astra petentem.

et alter :

Quo fugis praeceps ? latitare nescit
Mille portentis manifesta virtus :
Praesulem jam te feret in supremum
Turo tribunal.

Nunc superest ut breviter exploremus quid ad festos
et cantus profanos contulerit Turonensis episcopus.

Vix equidem a nobis concipi potest, quippe quibus,
vel in rebus quae ad religionem attinent, nonnihil
semper frigidi et compositi insit, quanta olim alacri-
tate, quanta omnium concursu et exsultatione Martini
feriae agitarentur. Ac primum, pridie ejus natalium,
qui in undecimum diem Novembris incidebant, sacer-
dotes, canonici et clerici omnes totam noctem in
ecclesia orantes alternisque vicibus cantantes et psal-
lentes ad ipsum mane vigilabant. Clericis autem acce-
debat magna populi multitudo quae, quum paucis
post horis preces et seria fastidiret, ludis omnigenis,
saltationibus, epulisque et cantibus profanis libenter
se dedebat. Eo autem libidinis et petulantiae per has
vigilias mox ventum est, ut Antisiodorensē concilium
eis omnino interdixerit¹. Idem hoc, ne plebs ageret,

¹ Labbe, *Sacrosancta Concilii*, t. v, p. 958.

Concilium Antisiodorensē ab Aunachario episc. Antisiod.
celebratum, an. 578.

vetuit paulo post concilium Toletanum¹. Nil autem ad dirimendum hunc morem valuere conciliorum aut summorum Pontificum prohibiciones. Nonne enim sumendi vires erant ut laudes beati viri alaci animo canerent?

Postera autem die, jam peractis sacris, incipiebat civilis ac profana solemnitas. Scholarum alumni, qui sua studia subsequenti die aut paulo post inituri essent, ultima haec vacationum tempora gaudio et ludis et cantibus dabant. Extat adhuc Codri Urcei² cantilena, quam illa die per vicos et compita saltantes laeta et unanimi voce recitabant scholares. Eam nos referre visum est, quoniam rarissimae sunt apud Italos hujusmodi cantiunculae³.

Art. iv. — Non licet ad sortilegos, vel ad auguria respicere, non ad caragios, nec ad sortes, quas sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut de pane faciunt, aspicere.

Art. v. — Omnino et inter supra dictas conditiones, pervigilias quas in honore domni Martini observant, omnimodis, prohibete.

¹ Concilium Toletanum, an. 589. — Labbe, t. v, p. 2014.

Cap. XXIII. Exterminanda omnino est irreligiosa consuetudo, quam vulgus per sanctorum solemnitates agere consuevit, ut populi qui debent divina officia attendere, saltationibus et turpibus invigilent canticis.....

² Circ. an. 1450. — Vid. Goldast : *Ovidii erotica et amatoria opuscula*.

Vid. etiam : *Virorum obscurorum epistolae*. — Francofurti, 1624.

³ Vid. E. du Méril : *Poésies populaires latines du moyen âge*, p. 208, not. 1.

Io, Io, Io, Io,
gaudeamus, Io, Io !
dulces Homeriaci ¹ ;
Io, Io !

Noster vates hic Homerus,
dithyrambi dux sincerus,
pergraecatur hodie ² !

Io, Io !

Haec est illa bona dies,
et vocata laeta quies
vina sitientibus :

Io, Io !

Nullus metus, nec labores,
nulla cura, nec dolores
sint in hoc symposio ³ !

Io, Io !

Vultis mecum jam potare,
et Lyaeum exaltare
dulces Homeriaci,

Io, Io !

Qui potare cupit mecum,
licet verum, portet secum
vina plenis utribus !

Io, Io !

¹ *Homeriaci*, hoc est sectatores, discipuli Homeri; haec vox non invenitur in dict. Cangii.

² *Pergraecari* idem est ac *inebriari*.

³ Hoc est *prandium*. Quam vocem Plato uni ex suis dialogis praeposuit.

Ecce tibi Trebulani
apportamus et Albani
centum plenos urceos ⁴ :
Io, Io !

Sed quis nobis ministrabit,
et quis praesto vinum dabit
dulce sitientibus ?

Io, Io !

Hic habemus Thomasinum,
cognoscentem vinum bonum
primo visu subito :

Io, Io !

Hic ridendo propinabit
et bibendo provocabit
omnes Homeriacos :

Io, Io !

Audi, bone Thomasine,
graece bibens et latine,
tuum fac officium :

Io, Io !

Est jam tempus ut potemus,
et post potum sic oremus :
deflectamus genua :

Io, Io !

Si potastis, jam levate,
et crateras coronate,

⁴ Trebulanum vinum apud veteres celeberrimum erat.
(Vid. Plin. Hist. nat., t. xix, cap. 6).

ut bibatis iterum ;

Io, Io !

Felix est ter, felix quater,
cui dat potum Bacchus pater,
de spumanti cantharo :

Io, Io !

Ne lucernae extinguantur
et potantes moriantur,
date nobis oleum :

Io, Io !

Vos Germani, vos Hispani,
vos Insubres, vos Britanni,
bibite pro viribus :

Io, Io !

Sed vos rogo, dum potatis,
ter quaterque videatis,
ne frangatis urceum :

Io, Io !

Omnes fortes sunt vinosi,
et potantes animosi,
dicit Aristoteles :

Io, Io !

Omnis doctor, omnis rector,
Bacchi patris sit protector
in aeterna saecula !

Io, Io !

Dulce dulci misceatis,
ex hoc in hoc faciatis
ut potetis dulcius :

Io, Io !

Bacche, vatum fortis pater
et qui solus es bimater¹,
et formosus diceris :
Io, Io !

Qui delphinos, amatores
puerorum et potores²,
feris misces lyncibus :
Io, Io !

Tecum civem Lampsacenum³
rogo ducas, et Silenum,
bacchusque thyrsigeras :
Io, Io !

Et te prope sit Potina⁴,
quae dat potum in culina
prima cunctis pueris !
Io, Io !

Tentat Bacchus ithyphallus⁵,
malus caper, malus gallus,

¹ Quod in coxa sua eum, decessa matre Semela, aliquantis-
per habuit Jupiter.

² Aul. Gell. I. I. VII, cap. 8. « Delfinos venereoos esse et
amasios, non modo historiae veteres, sed et recentiores
memoriae declarant. »

³ *Lampsacenum*, hoc est, *Priapum*, quem omnium primi
excoluere Lampsaceni. Hunc hircinis cornibus et pampinea
corona ornatum depingebant.

⁴ Dea, quae apud veteres bibentibus pueris favebat.

⁵ Georg. lib. II, 385.

aha ! nimis turpiter :

Io, Io !

Bibe quantum vis, Pirape,
sed honestam partem cape
ne perturbes gaudia !

Io, Io !

Bibe, bibe, bibe, bibe,
tu qui sapis, bibe, bibe;
dum Lyaeus imperat :

Io, Io !

Sed jam potrix turba tace,
et tu, Codre, talos jace.
sub bibendi arbitrio :

Io, Io !

Quod jecisti canes ternos ¹
bibe, bibe, bibe ternos
jam Falerni calices :

Io, Io !

Tu jecisti senionem,
bibe, bibe bracrionem ²
trebulani veteris :

Io, Io !

Codre, caput tibi fumat;
ne qui ignis te consumat,

¹ Me quoque pertalos Venerem quaerente secundos
Semper damnos i subsiluere canes.

(Properc. lib. iv, el. 8, v. 45).

² Bacrionem dicebant genus vasis longioris manubrii; hoc
alii trullam appellant. (Ap. Fest.).

stingue mero citius :

Io, Io !

Et vos, mei combennones ¹,

elevate bacriones,

ut possitis dicere :

Io, Io !

Hoc exemplo conjectari licet quanta procacitate Martini feriae exagitarentur. Cui prorsus cantilena- rum generi, quod non modo apud Italos, sed etiam apud Gallos et Germanos plurimum olim valuit, alludebat decimo et tertio saeculo Thomas Cantipratensis ², « Cantus turpissimus de beato Martino, aiebat, plenus luxuriosis plausibus, per diversas terras Galliae et Teutoniae promulgatus est ».

Sed haec non satis. Vespere facto, tota domus eidem mensae adhibebatur. Rudes enim populi laetioribus epulis largisque compotationibus potissimum laetantur. Tum ansere saginato, aut alio altili aliquo vescebantur; tum vinum novum repetis haustibus potabant ³.

¹ *Combennones* dicuntur in eadem benna sedentes. (Apud. Fest.).

² *Bonum universale de apibus*, p. 436. (Ed. Colvener).

³ Magni : *de vocaboli ecclesiastici* : « In questo giorno la blebe beve indiscretamente il vino nuovo, con grave offesa del santo, che fu astinentissimo. » Agricola : *Deutsches Sprüchwoerten* n° 342 « Wie deutschen halten Fassnacht, sanct Burkhard und sanct Martin, Pfingsten und ostern für die Zeit, da man soll für andern Gezeiten im Jahr fröhlich

Martinum conviva satur et potus adoret :
Hunc nobis ritum Gallia prima dedit ¹.

« Nemo, ait Boemus Aubanus, per totam regionem (Franconiam) tanta paupertate premitur, memo tanta tenacitate tenetur, qui in festo sancti Martini, non altili aliquo, vel saltem suillo, vitulove viscere assato vescatur, qui vino non remissius indulgeat... »

Quas inter epulas et potationes surgebat conviva quisque sua vice cantaturus, neque cuiquam sine dedecore abire licebat, nisi Martini laudes, quoquomodo posset, celebrasset ². Martinum enim, quanquam hominum maxime sobrium, gulae et vini patronum venerabantur omnes. Cujus patrocinii originem alii alio modo referunt. Nonnulli, inter quos Baronius ³,

sein und schlemmen. Burkards Abend um des neuen Most willen ; sanct Martin vielleicht um des neuen Weins willen, da brat man feiste Gans und freuet sich all Welt ».

Vid. etiam Drechssler : *de larvis natalitiis*, p. 31. — Millin : *Les Martinales ou description d'une médaille qui a pour type l'oeie de la St Martin*. — Flogel : *Geschichte des Groteskekomischen*, p. 194. — Keysler : *Antiquitates septentrionales*, p. 358. — Pontanus : *De festis Martinalibus*. — Aufsess : *Anzeiger für Kunde des deutschen Mittelalters*, p. 14.

¹ Pontanus : *De festis Martinalibus*, lib. I.

² Bede. *Hist. eccl.* lib. IV, c. 24. « Unde nonnunquam in convivio, cum esset laetitiae causa ut omnes per ordinem cantare deberent, ille (Caedmon) ubi appropinquare sibi citharam cernebat, surgebat a media coena et egressus ad suam domum repedabat. »

³ An. t. VIII, p. 465.

ab anno 580 repetunt, illumque morem ex miraculo quodam invaluisse asserunt, quod ita narrat Gregorius Turonensis¹. « Tunc Vinnocus Brito in summa abstinentia a Britannis venit Turonos, Hierosolymam accedere cupiens... Quem nos, quo facilius teneremus (quia religiosus nobis valde videbatur) presbyterii gratia honoravimus. Ingetudris autem religiosa consuetudinem habebat aquam de sepulchro sancti Martini colligere. Qua aqua deficiente, rogat vas cum vino ad beati tumulum deportari; transacta autem nocte, id exinde, hoc presbytero praesente, assumi mandavit, et ad se delato, ait presbytero : Aufer hinc vinum, et unam tantum guttam de aqua benedicta, unde parum superest, funde; quod cum fecisset (mirum dictu) vasculum, quod semiplenum erat, ad unius guttae descensum impletum est; idem bis repetitum. Quod non ambigitur, et in hoc beati Martini fuisse virtutem... »

Adjicit autem Baronius : « Ex hujusmodi miraculo longe lateque vulgato, aliisque ejusdem generis, accidisse videtur ut super vinum S. Martini nomen invocaretur, illudque pariter eo modo sancti viri nomine benedictum, unaque simul mutuae symbolo charitatis invicem propinatum in honorem ejusdem Sancti potarent. Sed quod tum pietas docuit, pravus usus labefactavit, ut ejus invocatione, non ex vino miracula, ut olim, sed ebrietates e luxu soleant provenire... »

Alii, in hoc Martini festo nonnisi vestigia deprehendunt.

¹ *Hist. Franc.*, lib. v. cap. 22.

dunt paganae religionis, Saturnalium scilicet, ac praesertim Aesculapii feriarum ¹.

Alii denique contendunt Martinum eo modo coli, quod ejus feriae in id tempus competant, quo fit doliorum apertio ². Quam sententiam sequi videtur Naogeorgus, qui haec prandia sic in « Papistico regno » describit ³.

Altera Martinus dein baccanalia praebet,
Quem colit anseribus populus multoque lyaeo,
Tota nocte dieque. Aperit nam dolia quisque
Omnia, sacer quae post Martinus vina vocari
Efficit. Ergo canunt illum, laudantque libendo
Fortiter ansatis pateris, amplisque culullis.
Quin etiam ludi prosunt haec festa magistris :
Circumeunt etenim sumpto grege quisque canoro,

¹ Drechssler : *De larvis natalitiis*, p. 31. Cujus moris originem apud Britannos sic explicat monachus Oddo : « Ex Eoo mari veniens, Olaus ad insulam Norrigiae, Mostur nominatam, adplicuit. Hic noctu innotuit ipsi sanctus Martinus episcopus, dicens illi : Moris in his terris esse solet, cum convivia celebrentur, in memoriam Thoreri, Odini et aliorum Asarum scyphos evacuare : hunc ut mutes volo, atque ut in mei memoriam in posterum bibatur, tua cura efficias ; vetus autem illa consuetudo, ut deponatur conveniens est... » Cap. xxiv, p. 102.

² H. Etienne : *Thes. ling. Graec.* « Ηθολυτα Doliorum apertio — Festum erat Bacchicum apud Graecos, quale est quod in honorem S. Martini agitatur. »

³ Lib. iv, p. 158. Ed. Bale, 1553.

Non ita Martini laudes festumque canentes,
Anserem ut assatum ridendo carmina jactant.
Cujus nonnunquam partem nummosve vicissim
Accipiunt, celebrantque hoc festum musice et ipsi.

Extat cantilena, latino germanoque sermone mixta,
quam hoc loco libet repetere :

Pontificis eximii
In sand Mertens ere,
Patronique largissimi
Den schol wir loben sere.


In cujus festo prospere
Zu weine werdent moste,
Et qui hoc nollet credere,
Der lass die wursen chosten.

Martinus, Christi famulus,
Was gar ein milder herre,
Ditari qui vult sedulus
Der volg nach seiner lere,

Et transmittat hic stantibus
Die pfennig aus der taschen,
Et donet sitientibus
Den wein in grossen flaschen,

Detque esurientibus
Die gusten feisten praten,
Gallinas cum caponibus
Wir nemens ungesoten ;

Vel pro honore dirigat
Die gens und auch die anten;



Et qui non bene biberit
Der sei in dem panne ! ¹

Excusationem non habeam nisi theatrum nostrum et quas de Martino exhibuerit olim tragoeidas breviter explorem. Num enim verisimile est veteres nostros poetas in scenam non adduxisse illustrissimum illum Turonicae civitatis episcopum, cuius quippe vita gestaque tragicis rebus tam apta essent. Re autem vera, duo extant « Mysteria » quorum alterum sub finem medii aevi ab incognito quodam vate scriptum est, quodque sic inscribitur : « Le Mystere de la vie et hystoire de Monseigneur sainct Martin ² ». Quae quidem tragoeida, circa an. 1500 gothicis litteris primumedita ³, quinquaginta et tribus personis cons-

¹ Hoffmann : *Geschichte des deutschen Kirchenliedes*, p. 167.

² « Le mystere de la vie et hystoire de monseigneur sainct Martin, lequel fut archevesque de Tours : contenant comment il fut converty a la foy chrestienne, puis convertit ceux de Milan et plusieurs autres. Aussi y sont plusieurs autres beaux myracles faictz par son intercession, qui seroient longs a racompter ; finablement comment il mourut sainctement. Et est ce present mystere a cinquante et trois personnages dont les noms s'ensuyvent cy apres. A Paris, par la veufve Jehan Bonfons, libraire, demourant en la rue neufve Nostre Dame a l'enseigne sainct Nicolas. » — Petit de Julleville : *Les Mystères*, t. II, p. 535.

³ « Il existe un mystere de Saint Martin imprimé vers 1500, dont M. Brunet a vu chez M. Téchener un exemplaire qui appartient à la bibliothèque de Chartres. C'est un petit in-4° de 7 pouces de hauteur, composé de 32 feuillets, à deux

tat¹, miraculisque a beato viro patratis magna ex parte conflatur².

Alterum autem, quod nondum editum est³, exhibuit Andrieu de la Vigne in pago quodam Burgundiae dicto « de Seurre », anno 1496⁴. Illud quidem Myste-

colonnes, 40 lignes chacune... Le premier feuillet est orné d'une gravure en bois, représentant S^t Martin à cheval et un boiteux allant à sa rencontre. » O. Leroy : *Etudes sur les Mystères*, Paris. 1837, p. 301. Hoc Mysterium rursus edidit Doublet de Boisthibault, apud Silvestre : *Collection de poésies*. Parisiis, 1841. Cf. Douhet : *Dictionnaire des Mystères*, t. 506 et seqq.

— Migne : *Dictionnaire des Mystères*, p. 507.

¹ Eas recenset Petit de Julleville in oper. supr. cit.

² Suspicor hoc mysterium idem esse ac illud cuius meminit Beauchamps (*Recherches sur les théâtres de France*, Paris, 1735, t. I, p. 227) sub hoc titulo : *Vie de St Martin de Tours*.

³ « Biblioth. nat. ms. 24.332 (la Vallière 51) In-fol. Goth., 264 feuillets ; le mystère occupe les feuillets 1-233 ; le reste est rempli par une moralité (*l'Aveugle et le Boiteux*) et la farce du *Meunier*, qui firent partie, avec le mystère de St Martin, de la représentation donnée à Seurre en 1496. La farce et la moralité sont publiées ; le mystère est inédit. Environ 10,000 vers et 152 personnages ». Petit de Julleville, op. cit. p. 539.

Vid. etiam *Biblioth. Turon.* mss. 928 — Douhet, Leroy, Migne, loc. cit — Jubinal, *Mystères inédits du xv^e siècle*, t. II.

⁴ « André de la Vigne, inquit O. Leroy, a cherché les faits et les peintures le plus en rapport avec l'esprit et le goût de son temps. Il nous montre St Martin déployant tout son zèle contre l'arianisme qui, défendu par l'aristocratie devait res-

rium priori longe praestat et operis mole et versuum elegantia¹. Poeta tamen Sulpitium quasi pedetentim secutus est, atque ex illo totam fere suae tragoediae compagem eruit, adjectis hinc inde, ut tum mos erat, facetiis, quae rudibus ejus aetatis hominibus cachinnos promoverent. Pergratum fortasse legentibus faciam, si nonnullos versus ex opere excerpam.

Martini patrem primum ostendit poeta, ferocem et rusticum militem, querentemque quod filius honestioribus ac lenioribus sit moribus. Uxorem itaque de nato sic increpat :

Je veulx qu'il soit desormais aux vacarmes ;
Carmes, moynes, pour ses rudes alarmes,
Larmoyer face ; a noyse et a contens,
Tant qu'il ayt fait plusieurs gens mal contens,
Tandis qu'il est en la fleur de jeunesse...
Battant, frappant, pour hanter combatans,
Bataillant fort, tant qu'il soit en vieillesse...

Cui repondet juvenis :

sembler, sous bien des rapports, au protestantisme. L'attention qu'on prêtait à ces longs et violents débats n'annonçait que trop nos guerres de religion... »

¹ Vid. Lecoy de la Marche, p. 631. — « Le drame d'André de la Vigne si supérieur à l'autre Mystère anonyme sur le même sujet ; ce grand drame, si remarquable, ne fut pas seulement représenté à Seurre ; il le fut aussi à Tours, aux fêtes solennelles de St Martin. » O. Leroy : *Epoques sur l'histoire de France* (1845), p. 430.) Cf. Petit de Julleville. *Les Mystères*, t. II, p. 540.

Tel aujourd'huy s'esjoyst de la feste
Qui puis après petitement s'en loue,
Et tel son bruyt aujourd'huy magnifeste
A qui demain mort baille sur la joue.
Fortune apres du demourant se joue
Ne plus ne moins c'un chat d'une souris.

Martinum postea exhibet latrones, in quorum manus
inciderat, leniter et blande alloquentem. Eorum autem
ferocissimus sancti viri adhortationibus paulatim com-
movetur, praeteritamque vitam sic deflet :

Hellas ! trop me suis delicté,
A faire des maux essécrables,
Dont après ma charnalité
S'en yra a tous les grans diables.
O appétis desordonnez,
En enfer vous serez dampnez !

MARTIN

Mon amy, ne vous condampnez
Dieu est plain de misericorde.

LE VOLEUR

Laissez m'en paix ! vous me tannez !
Que pendu soi-ge d'une corde ! ¹

Codici autem longam noticiam subjunxit auctor ²,

¹ Cf. O. Leroy, loc. cit. « Le coquin, *tanné* des coups que son âme reçoit est plein de naturel. »

² Eam jam edidere Petit de Julleville, t. II, p. 67. — Lecoy de la Marche, ad App. p. 698 « *Compte rendu des préparatifs et*

in qua enarrat quando et quomodo Mysterium illud in scenam inductum sit, quo instructum apparatu, quibus denique recitatum civibus. Inter illos vero qui partes egerunt numerantur Stephanus et Jacobus Bossuetius, quorum prior matrem Martini, posterior autem presbyterum agebat. Ille quidem scenam ingrediens hos versus recitabat qui inclytissimi nostri oratoris notissimum exordium quasi praesagiunt :

Celuy qui fait çà-bas regner
Toute chose en vraye value
Mieux que nul qui soit sous la nue...
C'est celuy qui seul enseigne heur
Et toute chose pardurable ¹.

de la représentation du mystère de Saint Martin, joué à Seurre, en Bourgogne — 12 octobre 1496.

¹ Bibl. Nat. mss. 24332 f. 10. — Cf. O. Leroy, loc. cit.

CAPUT QUARTUM

§ I. — **Quomodo Suipitium Severum imitatus sit Paulinus Petrocorius; quid ab illo detraxerit, quid addiderit.**

§ II. — **Quid in excudendis versibus valuerit Paulinus Petrocorius.**





CAPUT QUARTUM

§ I. — **Quomodo Sulpitium Severum imitatus sit Paulinus Petrocorius; quid ab illo detraxerit, quid addiderit.**

§ II. — **Quid in excudendis versibus valuerit Paulinus Petrocorius.**

§ I. Paulino, quem per juventutem omnibus deditum deliciis et profanis Camoenis indulgentem vidi-
mus, christianos mores semel induenti, nil jam nisi
grave et austерum superest. Hunc ex his unum esse
dicas qui, omnibus vitae lenociniis satiati atque
expleti, ingenti accepta clade, desperatisque fortunae
rebus, in conventum reccurrentes secedunt, ibique quid-
quid ante dilexerant oderunt, quidquid oderant dili-
gunt.

Quanto autem amore Musarum studia ante coluerat
poeticosque illos lusus, in quibus non omni scorto non
inquinata solebant exhibere Numina⁴, tanto nunc

⁴ Lib. III. V. P. 209.

Nunc Jovis incestam faciem, Martisque furem,
Mercurium falsis nixum vestigia pennis,

odio eadem prosequitur. Ne igitur in illo viro, quippe qui immoderatione verborum semper efferatur, temperamentum aliquod aut spatum odii quaeras, neque innocua illa dicteria, quae juvat interdum deprehendere in nonnullis christianis vatibus qui, non sine dulci aliqua mentis recordatione, facetis Camoenarum fabulis leporibusque nonnunquam alludunt. Earum vero non meminit Paulinus nisi ut magno et indefesso verborum impetu illas exsecretur. Alii, inquit,

Vesana loquentes,

Dementes rapiant furiosa ad pectora Musas...
Castalias poscant lymphatica pectora lymphas.
Non mihi mendacis pulsanda oracula Phoebi,
Nec conflictarum plectra expectanda Sororum ;
Altera pocla decent homines Jordane renatos.

Hunc itaque non christicolam modo, sed truculentum monachum, atque, ut ita dicam, ingratum poetam aliquis merito nuncupare possit.

Nil autem curat ut eleganter venusteque scribat, gestaque Martini poesis flosculis adornet ¹. Soli enim

Forcipe Vulcanum, chordis vel pectine Phoebum
Effigians ; clypeo insanam cristisque Minervam,
Lascivam Venerem, quatientem lustra Dianam,
Incestam illicita thalamorum lege sororem,
Germanae et nomen perdentem crimine fratris....

¹ Lib. III. V. 264. P. 262.

Lib. IV. V. P. 424.

Hoc quoque, quem dederit Christus, sermone loquemur.
Hoc, quemcumque dabit Christus, sermone retexam.

Christo et servo ejus Martino, quorum est musam inspirare et ingenii mollire rigorem, placere instituit ¹. Ceterum, haud sibi blanditur Paulinus, nec ambiguus confitetur verbis, se tanto operi, quod veterum poetarum « sublimes lituos » ² implere valuisse, omnino esse imparem ³. Nil itaque coutumeliosius esse potest quam verba illa, quibus ipse ut sesemet judicet, libenter utitur. Saepissime enim legenti occurunt probrosissimae voces, ut *vilia*, *vilissima carmina*, *mens sterilis*, *steriles calami*, *rudes loquelae*, *incondita murmura*, *bruta vox etc...* Haud semel itaque fatetur se jam in eo esse ut sub onere concidat ⁴ tanti laboris,

¹ Lib. v. V. P. 13.

Ergo age et extinctam Domino committe favillam,
Ut rigor ingenii, Christo adspirante, tepescat,
Et glaciem cordis Martini oratio salvat...

² Lib. iii. V. P. 2.

Haec gloria certe
Majorum voces digna est augere tubarum,
Nec poterit parvis vox tanta erumpere culmis,
Quanta et sublimes lituos implere valeret.

³ Lib. vi. V. 461. P. 460.

Quis tandem haec sensu capiat? Quis carminet pingat?
Quis numerare queat?... Vincitur omne
Ingenium, cohident pressas praeconia laudes.

⁴ Lib. iv. V. P. 488.

Cedimus! Exsuperat trepidantia verba loquentis
Gloria virtutum.... nos lumine laudis
Vincimur, et tanto oppressi splendore latemus.

Vid. et lib. v. V. P. 480.

quem tamen, quamvis vires excedat, aggredietur ¹, quoniam parvi facit quid de se existimatur sint homines. Namque, si poetam legens despiciat, Martinum sane mirabitur ².

Qua autem praecipua ratione Sulpitii libellos versibus transcriperit, quum tamen timeret ne metro molliti innatam perderent vim, initio quarti libri Paulinus indicat. Martini quidem vitam gestaque simplici et quasi austera narratione prosecutus erat Sulpitius. Sed hoc ipsum grave et paulo frigidius dicendi genus non probant plerique homines. Eorum enim maxima pars, more viatorum, sive pigritia et longioris viae fastidio, sive imbecillitate quadam naturae suae, neglecta salientis limpitudine fontis et altorum nemorum umbraculis, proximis rivis sitim restinguere, et per humilia virgulta secedere solent.

Non doctis igitur, sed « pigris et populo relegenda

¹ Lib. I. V. P. 312.

Ergo licet fandi vires sublimia vincant
Gesta, nec orandi modulus se laudibus aequet,
Aggregiar...

² Lib. I. V. P. 314.

Tu quisque legens tam vilia temnis
Carmina, dum verba irrides, mirabere gesta.
Quae quaeris descripta parum mirabere gesta,
Sufficit ut carmen temnens praeconia laudes.

Vid. et lib. VI. V. P. 20 et seqq.

fidi carmina » excudit, qui certe non querentur quod pro captu poculum eis exhibuerit¹.

Illud igitur Paulini Petrocorii poema non est *captatio benevolentiae*, ut vult Ebert², qua poeta, gravi oculorum morbo laborans, Martinum rogabat ut sanaretur. Quod quum asserit Ebert, graviter errat, nec alibi nisi in Daumiensi editione³, leviter quidam et inconsiderate, Paulini opera legit. Haec enim editio, ut antea jam dictum est, Juretiana editione fulta, multis quidem deformatur vitiis, sed Barthii Gronoviique notas et observationes continet. Ut vero suam stabilitet de illo Paulini morbo sententiam, ad versum 305 lib. I. se refert, qui sequitur.

Auxilio Domini « *vultus* » mihi redde salutem.

Haec quidem vox « *vultus* », obscura prorsus et intellectu difficilis, Juretum jam omnino deluserat, qui haec scripserat⁴: « Ex hac precatione quam interset Paulinus videtur rursus morbo oculorum laborasse graviter cum ista scribebat, qua causa opem Martini invocat. Sane jam antea in simili morbo a Martino sanatus fuerat... »

¹ Lib. IV. V. P. 11.

Nos quoque qui dignum nil possumus edere doctis,
Turbida non longe porgemus pocula pigris.

² *Hist. de la litt. lat. chrét.*, p. 430.

³ Daumiensem quidem et Corpetianam editiones indicat, sed posteriorem ne legisse quidem videtur.

⁴ *Biblioth. Patr.*, an. 1589. not. 39.

Anno autem 1681, in editione Daumiensi, Gronovius non « *vultus* » sed « *fultus* » proposuerat, qua quidem voce haud jam ambigua erat Paulini sententia. Corpetius etiam, cuius editionem commemorat Ebert nec tamen legit, in duobus quos recensuit codicibus, « *fultus* », ut solerter conjecterat Gronovius, non « *vultus* » invenit ¹. Ad eumdem quoque versum reddit in peculia ri observatione ², in qua cum Gronovio demonstrat Paulinum non oculorum, sed animae sanationem hoc in loco a Martino petuisse, ut saepe fit in aliis ejusdem poematis locis ³.

Nonnuli fortasse mirabuntur quod incultos saepe et obscuros Paulini versus simplici et expeditae Sulpitii prosae praeposuerint. Neminem autem fugit latinam poesim minus injuriae temporum fuisse obnoxiam, quod, certis regulis et pedum quasi carcere inclusa, nec nisi ab eruditis usurpata, pristinam vim diutius

¹ « *Fultus*. Sic recte F. Gronovius, quam conjecturam confirmant codd. Buher. et S. Germ. *Vultus* alii omnes, falso... » *Fultus* quoque habet editio Vindobonensis.

² Vid. ed. Corpet. p. 215, not. 10.

³ Vid. imprimis lib. II. v. 641 et 699. P. 634 et 692.

Asserit etiam Ebert Ægidium jam obiisse, ut illi ex poemate videtur, quum scribebat Paulinus Petrocorius. Tota autem via erravit, ut ex ipsius poetae versibus deprehendere est :

Illustrum virtute virum, sed moribus almis
Plus clarum, magnumque fide, *qua celsior extat*
Ægidium...

Opera autem Paulini non anno 1852, ut idem asserit, sed 1849, edidit Corpetius.

servavit. Prosa autem, quae ab omnibus usurparetur, multis jam sive ex barbaris sive ex ipso tempore mutationibus deformata erat. Nec deerant quinto saeculo qui versus haud ita conteinnendos excuderent, quum Virgilii ceterorumque poetarum vestigia sequerentur; pauci autem, qui vel unam paginam prosa polite scriberent. Testis est ipse Paulinus in suis ad Perpetuum epistolis. Nescio enim an aliquis non tam foede tamque obscure scripserit. Adde quod quum de « populo fideli » loquitur Paulinus, minus plebem ipsam, quae litterarum et poesis ignara esset, quam eruditos christianos, presbyteros ac praesertim monachos intelligere voluit.

At, quum pium atque religiosum carmen imprimis componere vellet, illi enitendum fuit ut omnes Sulpitii Severi locos, in quibus viris aut rebus ejus temporis alludit, quiue libros ejus plurimum commendant, ab opere suo dimoveret, Martini autem gesta, quantum fieri poterat, magis portentosa redderet.

Ac primum non solum omittit Paulinus quaecumque apud Sulpitium viris aut rebus ejus aetatis alludunt, sed propria refugit, quantum potest, locorum viorumque nomina, ut ex ipso poemate impossible sit aliquem comperisse quo tempore vixerit Martinus, qua regione quove Galliarum pago hoc vel illud egerit, ejusque carmen nescio quid incerti et dubii habeat, quod fabulam jam magis redolet: hinc initium epicis carminis.

Ad quod demonstrandum necesse est ut Sulpitium quasi pedetentim rursus sequamur atque ea, quae summatim tantum et in brevi tabula supra relata sunt, nunc fusius explicemus.

Vita beati Martini. — Caput primum, in quo Sulpitius exponit qua de causa vitam beati Martini scribendam suscepit, plane omisit Paulinus noster. Si quid vero simile apud illum invenire cupis, primos quarti libri versus perlege.

In capite autem sequenti narrat Sulpitius Martinum *Sabaria, Pannonicarum* in oppido, ex patre primum milite et postea tribuno militum, oriundum esse, atque intra *Italiam Ticini* educatum, eumdemque sub rege *Constantio* inter scholares alas, et, deinde, sub *Juliano Caesare* militasse. Ea omnia, quibus Martini natales et primordia satis illustrantur, tribus tantum versibus contraxit Paulinus, in quibus nullum nisi *Pannoniam*, vagum quidem et incertum nomen, invenimus:

Quem procul in nostram misit fecunda salutem
Pannonia, haud humili generatum stirpe; tribunus
Nam genitor, clarus meritorum laude... lib. I. 11.

At quum omnia exempla, quibus constat Paulinum quasi ex consulto propria nomina praeteriisse, referre longius esset, haec tantum inter cetera exhausimus atque in sequenti tabula exposuimus.

Ex SULP. — Vit. Mart. cap. IV. Interea irruentibus intra *Gallias* barbaris, *Julianus Caesar*, coacto in unum exercitu apud *Vangionum* civitatem...

Ex PAUL. — Lib. I. V. P. 181.

Gallica rura ferus populari cooperat hostis...

Ex SULP. — Cap. VI. Quum *Mediolanum* praeteriisset...

Ex PAUL. — Lib. I, V. P. 212.

Ergo iter incepit peragit...

Ex SULP. — Cap. VI. Ibi quoque eum *Auxentius*, auctor et princeps *Arianorum*, gravissime insectatus est. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad insulam *Gallinariam* nomine secessit.

Ex PAUL. — Lib. I, V. P. 259.

Hinc quoque pulsus abit, terras et moenia linquens,
Et pelagum fluctusque petens...

Insula in hospitium legitur.

Ex SULPIT. — C. IX. *Ruricius* quidam... ut egredetur obtinuit...

Ex PAUL. — Lib. II, V. P. 23.

Nam quidam...

Ex SULPIT. — C. XVII. Sub eodem tempore *Tetradii* cujusdam servus, daemone correptus.

Ex PAUL. — II, V. 545. P. 539.

Unius emicuit praesens curatio servi,
Quem daemon toto captivum jure tenebat...

Ex SULPIT. — C. XVIII. Apud *Parisios* leprosum, miserabili facie, horrentibus cunctis, osculatus est....

Ex PAUL. — II, V. 621. P. 614.

Nam quemdam horrendo texerat improba morbo...

Ex SULPIT. — Dial. II. Cap. VIII. *Claudiomagum* vicus est in confinio *Biturigum* atque *Turonum*...
Praeteriens ergo Martinus...

Ex PAUL. — IV, V. P. 422.

Dum progressus iter carpit venerabile sanctus...

Ex SULPIT. — Dial. III. Cap. II. Ille cedens episcopis, qui tum forte latus illius ambiebant, *Valentino atque Victricio...*

Ex PAUL. — V, V. P. 55.

Ecce duo assistunt clari probitate fideque
Et virtute viri...

Ex SULPIT. — C. VIII. Hujus destructionem *Marcello*, vir beatus saepe mandaverat...

Ex PAUL. — V, V. P. 546.

.... Neglecta diu mandata fideli
Presbytero exprobrat...

Nec pecularia tantum virorum aut locorum nomina praetermisit, sed ea omnia quae ad mores ejus aetatis pertinent, quaeque Sulpitium legenti tot et tam gravia praebent documenta.

Sic praeterivit capita XXV, XXVI et XXVII *Vitae beati Martini*, in quibus Sulpitius sive de Martino, sive de se ipso sive etiam de iis qui Martino contradicebant nonnulla dat haud parvi momenti indicia.

In capite enim XXV peregrinationem suam ad Martinum narrat Sulpitius, qua benignitate illum accepit sanctus vir, quibus laudibus Paulinum Nolanum ad coelum evexerit, quanta gravitate dignitateque in verbis et confabulatione praecelleret, quam acer, quam promptus et facilis in absolvendis Scripturarum sententijs.

In sequentibus autem, postquam paucis exposuit verbis quanta fuerit Martini perseverantia in abstinentia et jejuniis, quam potens in vigiliis et orationibus, ut si ipse Homerus emerget ab inferis non posset virtutes ejus competenter expromere, eos increpat qui sancti viri meritis vitaeque invidebant, quiue in illo oderant quod in se non videbant quodque non valebant imitari. Atque (quod magis dolendum est et ingemiscendum) insectatores illi non alii sunt quam episcopi, quorum plerique Sulpitium ipsum obtrectant, atque, ut animose dicit, quasi circumlatrant. At sibi conscius est Sulpitius se rerum fide et amore Christi impulsum ut haec scriberet, manifesta exposuisse, vera dixisse.

Nunc vero, quoniam explicitus est Sulpitii liber de *Vita Martini*, ad ejus *Dialogos* transeamus.

Primum quidem Dialogum non attigit poeta noster, quamvis multa in capitibus XXIV et XXV de Martino et Sulpitio contineantur notatione dignissima.

Aliquot anni jam erant quum Sulpitius *Vitam beati Martini* ediderat. Quem vero libellum varia opinione acceperant; plerique quidem, illum avida et credula mente legentes, Martinum ejusque praecomenem ad nubes ferebant; ceteri autem, ac praesertim episcopi, Sulpitium somniasse ac plurima in suo libro mentitum fuisse palam praedicabant. Non igitur mirum est si Sulpitius Martini detrectatoribus, quos et sibi infestos haberet, saepissime alluderit, nec magis mirum est si plura de Dialogis quam de Vita Martini detraxerit Paulinus noster.

Initio capituli XXIII Postumianus, ab Oriente, quo se

ante triennium patriam relinquens contulerat, regressus, amici librum magnopere laudat, illumque nullum in locum non penetrasse affirmat. Sulpitium itaque hortatur ut quae in illo libro de virtutibus Martini praeteriisse professus est¹ suppleat.

Cui respondens (cap. XXIV) Sulpitius, eremita et anachoretas, quorum gesta paulo ante retulerat Postumianus, cum Martino conferri non posse contendit. Illi enim ab omni impedimento liberi, coelo tantum atque angelis testibus, plane quidem mirabilia fecerunt; iste autem in medio coetu et conversatione populorum, inter clericos dissidentes, inter episcopos saevientes, quum fere quotidianis « scandalis » hinc atque hinc premeretur, tanta gestit, quanta nemo eorum qui in eremo sunt aut fuerunt. Tum vero contentio quaedam exoritur inter Postumianum et Sulpitium, qui demonstrare conatur neminem, quot et quanta gesserit miracula, Martino anteponendum, immo et conferendum. Nemo enim mortuum suscitat, quo uno necesse est confiteri in Martino omnium illorum, quos recensuit Postumianus, fuisse virtutes, Martini autem in illis omnibus non fuisse.

Eadem sentire ac semper sensisse fatetur Postumianus, nec Martino quempiam monachorum aut episcoporum comparare audebit. Quapropter miratur non nullos fuisse qui tantum virum detrectarint; non tamen plebem, sed clericos, sed episcopos incusat, qui malunt illius negare virtutes quam suas confiteri libidines.

¹ In prolog. « *Vitae beati Martini* ».

Gallum tum hortatur Sulpitius, Martini olim discipulum, ut cetera sancti viri miracula commemoret. Ille autem, postquam aliquantis per cunctatus est, veritus ne hominis Galli Aquitanorum nimium urbanas aures sermo rusticior offenderet, narrationem agreditur, atque imprimis monet se non ea rursus relatum quae jam Sulpitius in suo libro recensuit, neque audita ab aliis potius quam quae ipse vidi dicturum.

Tum vero incipit Dialogus secundus; hunc tantum et tertium versibus transcribendum suscepit Paulinus noster, quorum tamen plura capita omisit, ut statim videbitur.

Dial. II. — In capitibus VII et XII secundi Dialogi Sulpitius multa suppeditat de moribus monachorum christianarumque virginum indicia, quorum, ut solet, non meminit Paulinus noster. Excusat enim Gallus Martinum quod semel tantum in vita, jam septuagenarius, reginam, non viduam liberam, non virginem lascivientem, sed sub viro viventem, secum discumbentem passus sit. Praeclare istud exemplum virginibus et monachis, inquit Postumianus, quod si sequeuntur, nullae jam essent osculandi causae, nec universis saevae opinionis opprobriis afficerentur clericis. Tum vero ad Sulpitium conversus sciscitur cur tam obstinate taceat. « Ego, inquit, non solum taceo, sed olim de ipsis tacere institui; nam quia quamdam viduam, vagam, nitidulam, sumptuosam objurgaverim, lascivius vicitatem, itidemque virginem adolescenti cuidam mihi caro¹ indecentius adhaerentem, tanta

¹ Alludit forsitan Brictioni, qui Martino successit.

mihi feminarum cunctorumque monachorum odia concitavi ut adversum me utraeque legiones jurata bella susceperint¹ ».

Paulo post autem² easdem virgines objurgat quod crebris occursibus ubique se praebant obvias sacerdotibus, quod convivia sumptuosa disponant, quod una pariter accumbant.

Omittit Paulinus capita XIII et XIV ejusdem Dialogi, quorum in priore Martinus angelos, Petrumque et Paulum apostolos, . sanctasque mulieres Agnetem, Theclam et Mariam haud semel vidisse perhibetur, daemones autem, prout ad eum quisque venisset, suis nominibus increpasse. Haec autem vel plerisque in eodem monasterio constitutis incredibilia videbantur, nec ullum est Martini miraculum, ne mortuorum quidem resurrectionem excipiam, de quo magis dubitatum est. Quapropter Martinum tanquam senem insana delirantem nonnulli perhibebant. Timuit forsitan Paulinus ne rursus sanctum virum, heroem suum, irridarent.

Eadem causa est, ut opinor, cur sequens caput praetermiserit. Martinus enim, ut et ipse Sulpitius, Millennium sententiam amplexus erat. Quae quidem fabula, nonnullis Veteris et Novi Testamenti locis fulta, apud Orientem et antiquiores Ecclesiae patres maxime valuit. Credebant enim ea, quae Christus de Antichristo, judicioque ultimo et mortuorum resurrec-

¹ Cap. vii.

² Cap. xii.

tione praedixerat, non in remotum, sed in proximum tempus cadere. Hanc autem sententiam, sub finem quarti saeculi, tanquam falsam et exoletam respuebant episcopi, neque ullus jam erat, praeter Martinum et Sulpitium, priorum temporum amantissimos, suaeque aetatis indefessos detrectatores, qui stultae illi fabulae fidem adhiberet. At plane ridiculus evadit Martinus, quum addit « non esse dubium quin Antichristus, malo spiritu conceptus, jam natus sit et in annis puerilibus constitutus ». Annus autem octavus erat quum haec a Martino audiverat Sulpitius. Quapropter « vos aestimate, inquit, quam jam in praecipiti consistant quae futura metuuntur ». Tempore autem Paulini Petrocorii octogenarius ad minus fuisse Antichristus ille, quem proxime venturum praedicabat Sulpitius. Ne igitur mireris si poeta noster, Martini gloriae cupidus, ea neglexerit vaticinia, ex quibus nil nisi stultitiae aut mendacii crimen vir beatus consequi posset.

Dial. III. — Initio tertii Dialogi quum jam, praesente Refrigerio presbytero, in eo erat Gallus ut cetera Martini miracula narratione evolveret, irruit in cellulam turba monachorum, simulque nuntiatur multos « secularium » stare pro foribus, ut admitterentur orantes. Qui autem omnes repelluntur praeter Eucherium ex vicariis, et Celsum, consularem virum. Exorditur tandem Gallus ab adstantibus petens ut « religosas » potiusquam doctas praebeant aures.

His tandem praeteritis, incipit liber quintus Paulini. Sed rursus quintum caput omittit poeta, in quo Sulpitius eis irascitur qui Martini miraculis fidem dene-

gant. Ad singulas itaque quasque Martini virtutes nomina testium subnectet, ut si quis fuerit incredulus, ad eos adhuc viventes recurrat.

Quae autem in capitibus XI, XII et XIII narravit Sulpitius, quum tamen permulta pretiosaque iis adferant documenta, qui rebus ecclesiasticis student, si Paulinum unum legeris, prorsus non intelliges. Agitur enim de Priscillianistis, quos, suadente Ithacio episcopo, vehementius exagitabat Maximus imperator. Quam autem causam quum vel breviter exponere adhuc longius esset, Sulpitium ipsum, aut quemvis alium ejus aetatis scriptorem aperi et perlege.

In media autem capitinis XIV parte resistit Paulinus, nec amplius Sulpitium sequitur, quum tamen hic quatuor adhuc capita scripserit. Qua autem causa ea non quinto suo libro subjunxerit Paulinus satis ex sequenti summario liquebit.

Posterior enim capitinis XIV pars nonnulla continet quae minus pudica Paulino sane visa sunt quam ut ea piis lectoribus praeberet. Agitur enim de monacho quodam, qui, quum ad fornaculam Martini carbonum copiam reperisset, sellulam sibi admovit, atque super ignem illum, divaricatis pedibus, inguine nudato, consedit. Ex interiore autem domo injuriam sensit Martinus, qui statim: « Quis, inquit, nostrum incestat habitaculum »? Quod ubi Monachus audivit, continuo territus aufugit...

In sequenti etiam capite agitur de monacho alio, Martini discipulo, qui duorum daemonum furiis exagitatus in beatum virum mille convicia evomuerat. Hunc quidem juvenem, nobili loco oriun-

dum¹, peculiari amore dilexerat Martinus, quamvis multis magnisque criminibus premeretur, quod equos aleret, mancipia compararet; quin et a multis arguebatur non solum pueros barbaros, sed etiam puellas scitis vultibus coemisse. Hunc quoque, quod jucundo et acuto esset ingenio, carum habuerat aliquantis per Sulpitius, mox vero propter vitia aversatus. Inde inter utrumque jurata bella coepta sunt. Cui juveni haud semel maligne alluserat Sulpitius, nec tamen eum nuncupare ausus erat, ne Martino molestiam afferret, qui divino quodam instinctu noverat hunc monachum sibi fore successorem. Sub finem autem operis sui, decesso jam paucis ante annis Martino, non potuit diutius se continere quin infestissimi hominis, Turonensis tum episcopi, nomen ejacularet. « Heia te, BRICTIO ! heia te BRICTIO ! » clamabant daemones. Neque enim in summa sua dignitate mores immutasse videtur BRICTIO, quem ostendit Sulpitius² insanientem, in sua se non habentem postestate, saevientem in clericos grassantemque in laicos, et Phalari tyranno potius quam Martino similem. Quapropter illum tanquam « fornicatorem et magum » postea expulerunt Turonenses.

Haec prorsus, quum non ignoraret Paulinus noster, praetermittere voluit, ne tristia ad recordationem exempla referret, neque Martino vituperationi daretur quod tam indignum hominem tantopere dilexisset successoremque sibi indicasset.

¹ Grég. Tur. Lib. x.

² Cap. XVI.

Postquam illa parum quidem grata commemoravit Sulpitius, Postumianum, ad Orientem reversurum, hortatur ut Martini nomen et gloriam, quocumque iverit, per populos spargat. Ac primum meminerit non praeterire Campaniam quin illic adeat illustrem virum ac toto laudandum orbe Paulinum Nolanum. Ille enim non abnuet Martinum cum suo Felice componere.

Ad ultimum tandem tertii Dialogi caput pervenimus quod nobis novum praebet Sulpitium, non iracundum, non infensum, non omnia semper vituperantem, sed mitem et pium, sed tenerum et amicis devo-tissimum. Ex Paulini enim Nolani litteris¹ comperi-mus quanta benignitate servos et famulos suos haberet Sulpitius. Inter eos autem unus erat Pomponius quem peculiari amicitia diligebat quemque paulo post tem-pore manumiserat. Ille autem tanti beneficii memor, Sulpitio primum fideliter adhaesit. Postea vero, nonnullis ac praesertim Brictione male suadentibus, a pristino hero se paulatim sejunxit, atque, legationis cuiusdam causa, ad Orientem profectus est. Quam quidem proditionem aegerrime tulit Sulpitius qui tamen doloris impetum continuit, ne majus gaudium inimicis suis adferret. Ceterum horrendas ingrati animi poenas luit Pomponius, siquidem nefando funere, procul a suis a patriaque fluctibus demersus est. Quam amici sortem sic misere deflet Sulpitius. « Ceterum, quum Hierosolymam inde petiturus ventis rursum vela commiseris, negotium tibi nostri doloris

¹ Vid. praes. epist. xxix.

injungo, ut, si unquam illustris illius Ptolemaidis littus accesseris, sollicitus inquiras, ubi sit conseptus noster ille Pomponius, nec fastidias visitare ossa peregrina. Multas illic lacrymas tum ex affectu tuo, quum ex nostris funde visceribus, ac, licet inani munere, solum ipsum flore purpureo et suave redolentibus sparge graminibus. Dices tamen illi, sed non aspere, non acerbe, compatientis alloquio, non exprobrantis elogio, quod si vel te quondam, vel me semper audire voluisset, et Martinum magis quam illum quem nominare nolo, fuisse imitatus, nunquam a me tam crudeliter disparatus, ignoti pulveris syrte tegeretur, naufragi sorte praedonis passus in medio mari mortem, et vix in extremo nactus littore sepulturam. »

Eorum quae Martino tribuuntur miraculorum plerique, si ea diligenter inspexesis, nil habent quod hominis naturam exceedere videatur, ut fatetur ipse Sulpitius. Eadem autem, si apud Paulinum nostrum legeris, magis portentosa apparent. Conatur enim poeta ut a gestis Martini detrahatur quidquid mere humanum est, illisque divinum quasi sigillum imponeat. Non quidem mihi perutile visum est cunctos eruere locos, quibus hoc moliri plus minusve conspicuus est, sed nonnullos tantum in medio ponere.

Narrat Sulpitius¹ Martinum, postquam dimidiata vestis partem Ambianensi pauperi dedisset, Christum

¹ Vit. Mart. cap. III.

insequenti nocte, chlamydis suae, qua pauperem texerat, parte vestitum per somnium vidisse. Quod quidem somnium (nempe somnium est) naturae humanae plane consentaneum est. Saepe enim accedit ut per noctem rursus videamus quae nos per diem valde commoverint, sed aucta et mutata. Sic Martinus non pauperem ipsum, cui vestem dederat, sed Christum, cujus amore mens plena erat, vidisse alloquenterque audivisse credidit. Haec tamen omnia in somniis visa sunt, nilque habent quod miraculum redoleat. Quod quidem bene intellexit Paulinus noster qui omni ope conatur ut somnium illud auferat; quo enim sublato, res statim mira plane et portentosa fit:

« Non sopor illud erat, quia mens attenta vigebat^{1.} »

Quum quadam die Martinus per Alpes iter suscepisset incidissetque in latrones, atque ex eorum unus, securi elevata in caput ejus, librasset ictum, ferientis dexteram sustinuit alter. Ita Sulpitius in quinto capite Vit. Beat. Mart.

Non committit autem Paulinus noster ut de illo latrone dexteram alterius sustinente loquatur, quod quidem misericordiam hominis, non Martini potestatem commendet. Sed Martinum adducit divino quodam munimine « ridentem »

Instantes gladios, manibus post terga revinctis^{2.} Immo vero non jam captivus, sed custos latronis fit^{3.}

^{1.} Lib. I. V. P. 102.

^{2.} Lib. I. V. P. 203.

^{3.} Lib. I. V. P. 207.

Dum in pago quodam Æduorum templum everteret Martinus, furens gentilium rusticorum in eum irruit multitudo; quumque unus audacior ceteris, stricto eum gladio peteret, rejecto pallio, nudam cervicem percussori praebuit. Nec cunctatur ferire gentilis, sed quum dexteram altius extulisset, resupinus ruit¹. Absit ut intrepidam Martini mentem detrectem, qua, ut antea dixi, tantum valuit apud plebem; sed in hac tempestate nil prorsus divinum aut insolitum deprehendo. Saepe enim fit ut homo, vesana rabie correptus, dum ictum ferire parat, male librato corporis pondere, graviter ad terram präceps concidat.

Apud Paulinum vero percussor non subito et fortuito lapsu, sed gradatim et invisibili quodam numine impeditur quin Martinum feriat,

Quum subito adstrictis riguerunt viscera nervis,
Atque haesit tenui consumptus in aere motus,
Porrecta et jussum suspendit dextera ferrum,
Et periit totus membris torpentibus ictus,
Ac manus irriso conamine fixa remansit, etc².

Alio in loco³, si Sulpitio fides adhibenda est, Arborius, vir praefectorius, filiae suae pectori, gravissimis quartanis febris laborantis, in ipso accessu ardoris epistolam Martini inseruit, quam casu acceperat, continuoque febris fugata est. Quae quidem curatio

¹ Vit. beat. Mart. cap. xv.

² Lib. II, V. 447, P. 442.

³ Vit. beat. Mart. cap. xix.

plane miranda est, nec tamen Paulino nostro satis portentosa videtur. Praetermitto quidem multos illos versus, quibus febris ejusque ardores fusius describuntur, atque ad epistolam Martini statim venio. Haec enim epistola non jam casu, ut apud Sulpitium, ad Arborium delata est, sed a sancto viro ea mente missa, ut amici luctum levaret :

Oblata ad trepidam pervenit epistola dextram
Quam pius antistes moesto mittebat amico ¹.

Saepe quidem ingenue confitetur Sulpitius unum tantum, aut paucos fuisse qui Martini miracula viderint. Nunquam autem talia refert Paulinus noster, ne legentibus incredulitatem afferat. Sic, quum quadam die Martinus bigerrica veste tectus (suam nempe tunicam pauperi cuidam dederat), sacrificium Deo offerret, globus ignis, ut refert Sulpitius ², caput illius circumstetit. Hoc tamen, ut ait, licet celeberrimo factum die, in magna populi multitudine, una tantum de virginibus, unus de presbyteris, et tres de monachis vide runt, additque : « Ceteri, cur non viderint, non potest esse nostri judicii ».

Candidam hanc et sinceram confessionem, quae profanis forsan risum eliceret, adeo non retulit Paulinus noster, ut contra globum illum omnibus perspicuum fuisse contenderit, ut ex sequentibus liquebit versibus :

¹ Lib. II, V. 671, P. 664.

² Dial. II, cap. I.

Nam dum solemnī cumulat pia dona rogatu,
Prosequiturque sacris vota immortalia verbis,
Effulsit rutilans claro de vertice flamma,
Splendorem capiti infundens, innoxia crini,
Perspicuo sursum porrecta atque edita tactu,
Ignisfluo liquidum perrumpens aera sulco ¹.

Ac, paulo post ², fatetur Martinus nequaquam sibi
in episcopatu eamdem fuisse virtutum gratiam, quam
prius, quum monachus esset, habuerat. Non commi-
sit autem Paulinus, ne quid detrimenti acciperet Mar-
tini laus, ut eadem transcriberet. Immo, Sulpitio
plane contradicens, potentiam Martini non modo non
imminutam, sed potius auctam fuisse contendit.

Clarius adjecta virtutum luce coruscans.... ³.

Avitiani comitis uxor vas oleo plenum Martino
miserat benedicendum. Oleum autem Martini bene-
dictione ita crevit ut superne exundante copia difflu-
ret, manusque ac vestimenta pueri portantis operiret,
nec tamen minus plenum vasculum ad matronam
referretur.

Quod quidem miraculum, velim hoc animadvertis,
unius Harpagii presbyteri testimonio nititur. At, ut
aiunt, testis unus, testis nullus est. Itaque Paulinus
noster multos adfuisse dicit, quos Christus eo consilio
advocaverat ut tantum miraculum viderent:

¹ Lib. iv, V. P. 86 et seqq.

² Dial. ii, cap. iv.

³ Lib. v, V. P. 731.

Praesentes stupuere viri, quos Christus adesse
Jusserat electos tanta ad miracula testes... ¹.

Quod autem ad historiam aut ad mores ejus aetatis pertinet, quum Paulinus noster ex consulto aut Sulpitii vestigiis inhaereat, aut, quantum potest, detruncet, nihil est quod mireris si nulla apud eum documenta nova deprehendas. Quae, si desideres, Sulpitium ipsum accipias atque attenta manu evolvas necesse est. Nonnisi enim Paulinus poeticas descriptiones, quarum cupidissimus fuisse videtur, aut ad Martinum precationes de suo addidit, in quibus sanctum virum saepissime orat ut animae medeatur, vel, priscorum more poetarum, ut sibi canenti faveat, et naviculae suae secundas auras praebat. Quae omnia nil prorsus ad illorum temporum historiam conferunt.

Semel tamen atque iterum ab illo proposito discedere videtur. Ex his enim quae lib. v^o (V. P. 101-146) narravit, obscura delitescunt vetustissimi moris Ecclesiae vestigia quae merentur ut eruantur. Nimirum solebant tempore Paulini oleum benedicendum et consecrandum offerre viris sanctitate conspicuis, quo postea ad sanandos morbos uterentur. Quem quidem morem jam commemoraverant Sulpitius Severus ² et Hieronymus qui sic in Vita Hilarionis monachi : « Concurrebant episcopi, presbyteri, clericorum et monachorum greges, matronae quoque christianorum grandis tentatio, et hinc inde ex urbibus et agris vulgus

¹ Lib. v, V. P. 173.

² Dial. iii, cap. iii.

ignobile, sed et potentes viri et judices, ut benedictum ab eo panem vel oleum acciperent ». Sane apud multos scriptores legimus varios morbos, adhibito oleo et facta oratione, a viris sanctis curatos fuisse. Sic Paulinus noster (lib. II) narrat paralyticam mulierem a beato Martino Treveris hoc medelae genere fuisse sanatam, et hoc ipso quinto libro refert puellam mutam infuso ori oleo coepisse loqui. Ruffinus quoque¹ narrat hominem membris omnibus aridum ad sanctos quosdam monachos delatum fuisse, moxque ab eis oleo benedicto perunctum statim convalescisse. Quod confirmat Sozomenus (hist. Eccl. lib. VI cap. 20). Quin etiam eodem libro (cap. 29) meminit senis cujusdam (cui nomen Benjamin) qui, sine pharmacis, contactu manus, aut oleo, addita precatione, quovis morbo aegrotantes liberabat. Rursus Hieronymus in eodem libro : « Benedicto itaque oleo, universi agricultae atque pastores tangentes vulnera, certam salutem resumebant » ; et paulo post : « Cujus generum et filiam de morte liberavit unxione olei ». Tertullianus in libro ad Scapulam : « Severus pater Antonius, ait, Proculum christianum, qui eum per oleum aliquando curaverat, requisivit, etc ». Ita igitur apud Christianos invaluerat mos ille, ut orationis formulam de oleo benedicendo retulerit summus pontifex Clemens, in libris Constitutionum² Apostolorum : « Per Christum, inquit, sanctifica hanc aquam et hoc oleum,

¹ Hist. Eccl. lib. II.

² 8,13.

in nomine eorum qui attulerunt, et da virtutem sanitatis effetricem, daemonum fugatricem, etc ».

At illud praesertim hoc in loco notatione dignissimum est, quod addit Paulinus, nec temere alibi scriptum invenies, sua aetate illud oleum vasculis puris conclusum recondi solitum a Christianis in sacris locis, puta memoriis et aediculis martyrum, qui in dies clarescebant miraculis, ut scilicet desfluens desuper coelestis quaedam gratia magis efficax ad pellen-
dos morbos liquor redderetur. Inde etiam colligimus maxime in Oriente hunc morem invaluisse, in urbe Bethleem, in Calvariae loco, apud sepulchrum Christi, et in monte Oliveti ¹.

Nec multo post ab exemplari suo iterum degreditur Paulinus. Satis enim habuerat dicere Sulpitius de Avitiano comite, crudelissimo quidem homine : « Diversa perdendis parari jubet genera poenarum ² ». Quae quidem brevia accipiens Paulinus, longis, pro solita sua garrulitate, verborum circuitibus dilatat extenditque. Quam autem garrulitatem hoc in loco non nimis acriter improbabimus, quum ex illa non nulla habeamus indicia de variis suppliciorum generibus, quibus quinto etiam saeculo utebantur provinciarum rectores, quaeque alibi non facile reperias.

Incedebant autem longo ordine rei, quibus moris erat hispidam et longam comam demittere. Illos « incurvo pectore » procedentes artiusque innodatis

¹ Lib. v, V. P. 259 et seqq.

² Dial. iii, cap. iv.

et ad ossa depresso catenis alligatos urgebant flagello
ministri¹.

Alii in caminos et fornaces conjiciebantur qui suc-
cendebantur pice et sulfure. Cujus quidem supplicii
hand semel mentio fit in vita Martyrum, ut in vita
B. Mammetis edita a Strabone quodam, cuius versus
hic repetere libet propter insolentiam sententiarum :

Jussit ab alto

Deponi, totaque strui virtute caminum,
Ut quem non flexit feris unguibus, igne perurat.
Demens qui magnam regnare in pectore flammarum
Sanctorum ignorans, ignes adhibere caducos
Non timuit, cum restinguiri non ignis ab igne
Sed magis augeri soleat...

Vetus quoque auctor in passione Dionysii et Sociorum
haec scripsit : « Praeparantur interea ingentia clibani
incendia et in ea vir Domini projicitur.... »

Alii eculeo sublimes dependebant², dum tortores
eorum membra distendebant, lateraque unguibus et
pectinibus ferreis radebant, et ardentibus exurebant
taedis. Sic triplex in uno et eodem corpore suppicio-
rum genus fuisse indicat Paulinus ; nempe distende-
bantur in eculeo corpora reorum, eorumque artus
quatiebantur ut disjicerentur membrorum vincula, ac

* Humaniter tamen Constantinus (De custod. Reor. lib. 1) :
« Viro adhibito, ait, non ferreas manicas et inhaerentes
ossibus mitti oportet, sed prolixiores catenas, ut et cruciatio
desit, et permaneat fida custodia ».

• Lib. v, v. P. 280.

denique (quod crudelissimum est) laceris istis morientium corporibus admovebantur faces adipe multo linitae.

Haec tantum ex quinque prioribus libris peculiaria erui possunt de illorum temporum moribus indicia.

Ad sextum nunc Paulini librum transeamus et videamus quid in hoc libro ceteris S. Martini miraculis adjecerit poeta noster. Si quis autem totam miraculorum seriem, quae in hoc libro continentur, legendo vel obiter percurrerit, pleraque statim apprehendet eis simillima esse miraculis quae in ceteris libris ex Sulpitio translati narrantur. Miraculorum enim argumentum saepissime idem, nec quidquam novi est nisi quod addidit populorum credulitas. Non ipse quidem suis manibus Martinus, quoniam decessit, sed ea, quae ad Martinum aut ejus tumulum quoquomodo pertinuere, curationes operantur.

Quae enim versibus V. P. 34-106 transcripsit Paulinus de energumenis, nonne in memoriam revocant ea quae lib. II, V. 559, P. 532 et seqq., lib. IV, V. P. 453, lib. V, V. P. 398-433, jam retulerat?

Quae versibus V. 152, P. 151 et seqq., de paralytica puella ad tumulum Martini sanata, nonne ea quasi ad verbum referunt quae lib. II, V. 480, P. 475 et seqq. jam dixerat? Addit quidem hoc loco Paulinus puellam illam, quum ad pristinos errores divertisset, rursus in morbum incidisse atque statim obiisse.

Quae versibus V. 259, P. 240 et seqq. de barbaro quodam homine qui, dum in atrio templi Martini adstantem ferire conatur, gladium in se retorquet,

nonne ea repetunt quae lib. II, V. 430, P. 425 et seqq.
jam fusius evolverat?

Quae versibus V. 291, P. 290 et seqq. de oleo ex-
crescente, nonne ea commemorant quae lib. V, V.
P. 146 et seqq. narraverat?

Quae versibus V. 320, P. 319 et seqq. de grandine,
nonne memoria in redintegrant miraculi quod lib. V,
V. P. 433, jam descripserat?

Quae versibus V. 369, P. 368 et seqq. de mari tur-
bato nautisque perituriis atque ope Martini salvatis,
nonne ea commemorant quae jam adumbraverat lib. V,
V. P. 736 et seqq.?

Quae denique versibus V. 461, P. 460 et seqq. de
quodam homine, qui delata e tumulo Martini cera
arcet incendium, nonne ea iterum proponunt quae
lib. II, V. 355, P. 350 et seqq. jam ex Sulpitio trans-
cripserat?

Quae omnia si detraxeris, ducentos vix versus habe-
bis in quibus aliquid novi sed parvi momenti trans-
cripsit Paulinus ex charta Perpetui, scilicet:

V. P. 1-34; 336-350. Invocat poeta Martinum.

V. P. 106-152. Aegidius obsessus, Martino invocato,
liberatur.

V. 218-250, P. 217-249. Barbarus quidam fit caecus,
dum eripit vi coronam e tumulo Martini.

V. 264-290, P. 263-289. Quidam, dum instrumenta
denegat ad extruendum Martino templum, vado mer-
gitur.

V. 350-368, P. 349-367. Paschae diebus cellulam
Martini religiose frequentant populi.

V. 500-506, P. 499-505. Poematis conclusio.

Neque ea quidem quae in poematio de Visitatione Nepotuli narravit Paulinus omnino nova mihi videntur. Ea enim legenti mihi memoriae occurunt quae lib. II de Arborii filia jam descripta vidi. Quid enim? Sanantur ambo charta quadam eorum pectoribus imposita. Nec discrimin alius est, nisi quod Arborii filia charta ab ipso Martino conscripta sanatur, Nepotulus vero Paulini charta a Perpetuo quidem signata, sed ejusdem Martini miracula nonnulla continente, e febre revalescit.

§ II. — Nunc vero, quoniam historicis studiis et dignoscendis suae aetatis moribus nihil aut fere nihil contulit Paulinus, ad poeticam ejus dictionem veniamus.

Haud dubium est, ut jam antea dixi, quin a prima juventute litteris ac legendis profanis scriptoribus institutus fuerit. Illi autem contigit, quod non Paulino Pellaeo ¹ contigerat, ut quasi ab incunabulis latino sermone loqueretur; quo factum est ut promptissime hanc linguam didicerit, latinorumque poetarum versus facillime memoria tenuerit. Inter poetas vero, quibus legendis potissimum se dedisse videtur, annumerandus

¹ *Euchar.* 75 et seqq.

Protinus ad libros etiam transire Maronis
Vix bene comperto jubeor transire latino.
Conloquio Graiorum adsuefactus famulorum
Quos mihi jam longus ludorum junxerat usus,
Unde labor puero, fateor, fuit hic mihi major,
Eloquium librorum ignotae apprehendere linguae.

est Virgilius. Ducentos enim et amplius versus retulit Petschenig¹ in quibus Mantuanum poetam aut verbo ad verbum transcripsit, aut, mutata tantum hinc inde una aut altera voce, imitatus est. Immo et totum Paulini poema Virgilianam nescio quam dictionem redolat, ita tamen ut eam potius animo sentias quam verbis expromas. Secundum Maronem Nasone imprimis delectatus est, cuius poeticae ac portentosae descriptiones, ut decebat, nonnulla ei attulere lucubrationum exempla. Unam tantum Lucani² et tres aut quatuor Claudiani imitationes apud poetam nostrum invenias. Inter christianos autem poetas Juvencum et Sedulium³ imprimis imitatus est, atque, secundum eos Prudentium et Paulinum Nolatum, ex quibus tamen nonnisi raros excerptis versus⁴.

Quum Paulinus Petrocorius describendam metro materiem suscepisset, quam aliis jam prosa descriperat, hoc ipso nil proprium ac peculiare in excogi-

¹ Op. cit. p. 166.

² *Paul* : I. 380. Vultumque in morte minacem...

Luc. Phars. II. 26. Oculosque in morte minaces...

³ Quae res ad tempus evulgati *Carminis Paschalis* definitum maximi est nomenti. (Vid. Ebert, op. cit. p. 398, not. 1). Hoc quidem carmen ad annum usque 494 referebant. At, quum Sedulium haud semel imitatus sit Paulinus, qui, ut jam dixi, anno scripsit circiter 462, certum est *Carmen Paschale* sub annum 450 aut paulo ante evulgatum fuisse.

⁴ Quas omnes imitationes sedulo notantur in *Vindobonensi* editione, p. 166-172.

tandis ac disponendis rebus habere, nec nisi poetica arte et versuum elegantia laudem aliquam assequi poterat. Unum tamen illud si consecutus esset, scilicet, si prosam alienam lepidis traduxisset versibus, ausim contendere eum haud omnino indignum esse qui poeticae artis studiosorum gratiam retineret. Non enim ita magnus erat in medio quinti saeculi eorum numerus qui Maronis lyram docto pollice percutere poterant, atque ex illa haud nimis discordes excipere sonos.

Quod autem ad poeticam rem attinet, alias esse videtur Paulinus noster quum christianas sententias transcribendas habet, atque alias quum in descriptiones sese libero pede immittit. Illi enim Christi disciplinam describere aggredienti nullae veterum poetarum voces, nulli occurrunt loci quos imitari possit. A quo enim verba petivisset, quibus de terrenarum voluptatum despectu, de morum castitate et puellarum virginitate et omnibus illis virtutibus, quas commendabat christiana religio, egregie locutus esset, quum in id tantum studuisse videntur pagani vates ut vitae delicias et Deorum scorta canerent? Unde Paulino nostro nec non ceteris Christianorum vatibus necesse fuit ut veterum poetarum verba locutionesque a pristino detorquerent sensu eisque novas novarum rerum significaciones aptarent. Quae causa est cur Paulinus, quum ad ea loca venit in quibus christiane loqui cogitur, contortus sit atque obscurus. Scabro tum et parum culto utitur sermone, suosque versus aegre et magno molimine excudit, atque in locum Maronianae illius elegantiae, quam mirari interdum juvat, nescio quem

subjicit verborum fragorem, ut quid in mente habeat saepe intelligere frustra conaremur, nisi Sulpitium ipsum in manibus baberemus.

Quod quidem vitium, cuius exempla legenti passim occurunt, ipse sensisse videtur; properat nempe ex his egredi locis, in quibus nonnisi argumenti necessitate versatur, ut in magis opportunum campum, hoc est, in rerum descriptiones, quibus multum prodest veterum poetarum memoria, sese libero pede immitat. Quam tuin prudens, quam sagax pristinorum versus sibi vindicat lepidisque juncturis suos facit et quasi novos ! Artificium illud est, fateor, et verborum quasi praestigiae. Nonne tamen saepe juvat etiam praestigiis deludi ?

Benignas itaque versificanti aures praebet, atque, si potes, Maronem et ceteros e memoria detrude.

Quis hunc depinxit serpentem, Paulinusne an Augustae aetatis vates ?

Tranabat dirus propter vada proxima serpens,
Et vitreas sulcabat aquas; extabat ab undis
Cum cervice caput. Findebat pectore summum
Festinus fluvium, reliquos per caerulea tractus
Flectebat vario, sinuamina lubrica, motu,
Intorquens levis curvata volumina caudae,
Et vibrans tremulam meditata in vulnera linguam⁴.

Rabidum hunc adspice canem cuius ira solo Martini nomine subito decidit :

⁴ Lib. v. V. P. 619 et seqq.

Quod simul insonuit compressi haesere latratus,
Erectae cecidere jubae, torvumque minaces,
Extantesque oculi suffusas sanguine flamas
Depositis clausere minis; tum blandius aures
Mulcere, et terram contorta verrere cauda,
Et caput infexo prouum demittere collo... ^{1.}

Ut autem arridet pratum illud ! Quanta verborum
laetitia, quam frigidis depictum coloribus ! Quot occur-
runt lepidi versus, alte memoria recondendi !

Undabant tenui viridantia grama flatu,
Impulsasque levis motabat spiritus herbas,
Insuper innumeri per plana jacentia flores
Distincta insertis pingebant aequora geminis...
Blandus odor gratum certans aequare colorem
Pascebat specie visum, spiramine nares.
Praebebant rarae pergrata umbracula frondes,
Caerulaque implexis nutabant brachia ramis.
Certabant tectae foliis vernare volucres,
Musica dulcisonis moderantes sibila linguis.
Purus vicinas pascebat rivulus herbas,
Graminaque adlapso stringens humore fovebat.
Perspicui subter visu penetrante lapilli
Crispabant vitreas per blanda obstacula lymphas ^{2.}

Visne annosam frondiferamque pinum quasi ante
oculos habere ? Hos lege versus :

^{1.} Lib. v. V. P. 247 et seqq.

^{2.} Lib. iv. V. P. 556 et seqq.

Huic pinus vicina loco distenta virentes
Pandebat ramos, annosa et brachia late
Nexuerant viridem frondenti in vertice silvam;
Arcebatqne omnem foliorum erat calorem,
Arboris unius densum nemus; umbra perennis
Jugem temperiem mentito vere tegebatur... ¹

Visne commoti maris rursusque sedati eximiam
habere descriptionem? Hos tibi versus exhibit Pauli-
nus:

Ut mare, quod fundo convulsu moverit imo
Fluctibus insistens vehementis turbo procellae,
Illidit totas spumanti adspergine cautes,
Et rauco oppositas transcendit murmure ripas;
Pulsant perfractae dum concava littora moles,
Et vada permiscent totum vicina profundum.
Mox ubi deposito siluerunt flamina motu,
Sternitur immensus placidarum campus aquarum;
Levia deposito considerunt marmora vento,
Et jacet immoti species mutata elementi,
Sollicitans tenues constrato gurgite cymbas... ²

Paulinumne an Lucretium dicas his versibus retu-
lissee unde orta sit religio, aut potius insana illa super-
stitione, qua in principio, apud ignaros populos, quorum-
dam virorum arte pollutum opera quasi Numinis
habita sunt?

¹ Lib. II. V. 259, P. 255.

² Lib. II. V. 409, P. 404.

Quo magis artificis studium rationis egentes
Attonitis stupuere animis; sic stulta pudende
Relligio invaluit, venerans pro Numine solum
Ingenium, geniumque Dei de nomine fabri ¹.

Ac quidem longius esset omnia proferre exempla in quibus, si non grande et altum ingenium, mira sane in excudendis versibus calliditas eminet. Nec sola tamen sua in Musarum laboribus industria notabilem se fecit Paulinus. Saepe enim fit ut, dum poetico cultu verborumque nitore gesta Martini exornare conatur, ex suo proprio fonte, rapida quadam et felici sententia, aliquid addat quod ad humanos mores pertinet. Angustis nempe miraculi cuiusdam limitibus compressus, non ita tamen Sulpitii vestigiis insistit ut interdum sua sponte non huc illucque cursitet et digrediatur, praesertim quum in iis versatur narrationibus quae nos affectu et misericordia commovent. Homo est, atque, ut Terentiano utar sermone, nihil humani a se alienum putat. Ad quod demonstrandum minime, ut mihi videtur, necesse est cunctos eruere et excutere poematis locos, at tantum inter ceteros quasi primores producere, quibus facile dignoscatur quid summa valeat.

Post brevem itaque narrationem nonnullorum Martini gestorum quae Sulpitius et Paulinus, prior quidem prosa, posterior autem versibus amplexi sunt, conabimur ut emineant quae Paulino nostro sunt peculiaria.

Narrat ² Severus Martinum, quum quadam die hi-

¹ Lib. v. V. P. 641 et seqq.

² Dial. ii. Cap. 1.

bernis mensibus occurrisset ei pauper, orans ut sibi vestimentum daretur, jussisse algentem sine mora vestiri, secretariumque ingressum esse, in quod, remotis testibus, secedere solebat. Quum autem diaconus tunicam dare distulisset, secretarium irrupit pauper, dissimulatum se a clero querens ac algere deplorans. Nec mora, Martinus intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit pauperemque cunctum discedere jussit.

Huic autem brevi et paululum jejunae Sulpitii narrationi, in qua mirum prorsus et ingeniosum pietatis exemplum deprehendas, quae Paulinus hinc inde de proprio fonte addiderit velim conferas.

Ac primum hunc adspice pauperem. Ut veris ac flebilibus depictus coloribus !

Ecce autem tremulus glaciali frigore pauper,
Collidens miseros nutanti vertice dentes,
Admotasque manus mallis pallentibus aptans,
Captabat tenuem flatu adspirante teporem.
Vox quoque non totis resonans lacrymabile verbis,
Flebilibus praecisa sonis gemituque loqua,
Signabat totam, causa clamante, querelam ¹.

Quis hanc non approbaverit sententiam, veram quidem et gravem, quam de illo paupere secretarium Martini, ceteris immo et presbyteris vetitum, irrumpente, duobus istis expressit versibus :

Sed quid non penetrant miseri, quos cogit erumna
Attritae expositum frontis vulgare pudorem ? ²

¹ Lib. iv. V. P. 23 et seqq.

² Ibid. V. P. 43-44.

Quis illam non laudaverit qua in eos invehitur qui, postquam perfectius, ut credunt, vitae genus amplexi sunt, in otio et monastica quiete quasi obdormiunt atque sibi complacent, omissis erga ceteros officiis?

Dicite, qui spreti calcantes gaudia mundi
Abjecto vitam voluistis quaerere censu,
Quis nudum proprio texit nudatus amictu,
Quis, quod ferre alium doluit, non ipse refugit? ¹

Haec prorsus ex Severo non hausit Paulinus, qui, ut paulo supra dixi, ab exemplari suo nonnunquam proprio motu degreditur. Illud autem perspicuum rursus habebis si ea contuleris quae uterque scripsit ad excusandum Martinum, quod, quum quadam die cum rege discumberet, mulierem, reginam scilicet, sibi ministrare tulisset. Multis enim verborum circuitibus sese impedit Severus, dicens Martinum jam septuagenarium, precibus imperatoris, et reginae fide, et temporis necessitate coactum, semel tantum permisisse sibi coenam exhiberi a regina, non vidua libera, non virgine lasciviente, sed sub marito vivente... Hanc denique, quam approbat, agendi rationem velim animadvertis, qua, paganorum more, mulier fiat quasi ancilla viri : « Disce disciplinam, ait : serviat tibi matrona, non imperet; et serviat, non recumbet² ».

His vero non intricatur rationum ambagibus Paulinus noster, qui Severum adeo non est secutus ut ei quasi contradixerit. Minime, ait, culpandus est Marti-

¹ Ibid. V. P. 57 et seqq.

² Dial. II. Cap. vii.

nus si mulieri potius se facilem exhibuerit quam viro cuiquam, quia fides plus quam sexus valet, atque omnes homines, viri scilicet et mulieres, servi et liberi, divites et pauperes aequales sunt, nec nisi animi altitudine propriisque meritis alii ab aliis distinguendi ¹. Aut fallor, aut hanc sententiam, quam rarissime invenias apud veteres, nostra tempora valde probabunt.

Alia si quaeris spectacula, codicem ipsum aperi, et quam primam se obtulerit erue narrationem.

Ecce mulier quaedam, cuius filius paulo ante decesserat, corpus exanime beato viro protensis manibus coepit offerre. Tum Martinus videns, pro exspectantium salute, consequi se posse virtutem, defuncti corpus propriis manibus accepit, et quum, inspectantibus cunctis, genua flexisset, ubi consummata oratione surrexit, vivificatum parvulum matri restituit ².

Ecce paterfamilias duodecennem ab utero mutam puellam Martino coepit offerre, poscens ut linguam ligatam sanctus vir absolveret. Tum vero, postquam aliquantisper, pro solita sua humilitate, cunctatus

¹ Lib. IV. V. P. 413 et seqq.

Nec mihi feminei praetendas nomina sexus,
Invide; non artus meritum, sed corda parabunt.
Nec minor est natura homini quum gratia par sit,
Nec distat merito fidei gens, sexus et aetas,
Vir, mulier, servus, liber, peregrinus et haeres,
Credentis meritum praestat, non gloria carnis.

² Dial. II, Cap. IV.

esset Martinus, remotis adstantibus, pusillum olei benedicti in os puellæ infudit. Statim illa sanata est¹.

Ita Severus haud sine magna verborum sinceritate. Ab illo autem plane diversus est Paulinus, qui non miracula modo exquisitis retulit versibus, sed omnia etiam quae aut praecessere aut secuta sunt momenta admirabili industria prosequitur, lacrymas scilicet et infandos matris dolores, quae sua ubera gelidis nati labris incassum porrigit, et illum vivificati pueri impetum, quo primum Martini collo, neglecta matre, se suspendit, et illas tristissimas parentum, quibus filia muta est, curas, suspiriaque,

quum saepe viderent

Vixdum reptantes in verba erumpere parvos,
Nominaque e teneris praefracta exire labellis,
Quum murmur dubium pietas praegressa notaret,
Incertam agnoscens, affectu interprete, vocem,
Excipiens quasi dicta sonos, rapiensque loquenda².

Nonne haec vera sunt, nec tantum in ore, sed in pectore nata?

Ecce canes leporem venatu agitabant. Multis et longis cursibus victa bestiola, quum undique campis late patentibus nullum esset effugium, mortem imminentem jam jamque capienda crebris flexibus differebat. Cujus periculum vir beatus pia mente miseratus, im-

¹ Dial. III, Cap. II.

² Lib. V. V. P. 26 et seqq.

perat canibus ut desisterent sequi, et sinerent abire fugientem. Ita lepusculus incolumis evasit¹.

Nunc autem Paulino velim attendas, neque magis in illo poetam quam hominem admireris.

Ac primum, nonne spirant et quasi vivi in scenam inducuntur venatores isti, veloci equorum cursu « per aequora volantes ». Mecum hanc mirabere picturam :

Cornipedes properi multo sudore madebant,
Et patulis tenues efflabant naribus auras;
Ungula terrifico resonabat concita pulsu,
Linquens pulveream cita post vestigia nubem...
Certabant alacres ventos aequare molossi,
Vincendi et studio spectantium explere furorem,
Pendentesque procul reserato gutture linguas
Flatibus alternis tremulus quatiebat hiatus...²

Non ego tamen paululum fucatam in componendis versibus et Musarum laboribus industriam tam demiror, quam his commoveor verbis, quibus tanto juvenum, equorum canumque fragori finem facit, quidque de magno hoc et inutili molimine sentiat legentibus aperit :

Hic tantus labor, hic sumptus, quo, proh dolor! exit?
Quis fructus, quaeve utilitas prensare fugaces
Bestiolas, leporumque fuga gaudere paventum ?³
Nescio an aliquis non elegantius simul et aptioribus

¹ Dial, II, Cap. IX.

² Lib. IV. V. P. 502 et seqq.

³ Ibid. V. P. 514 et seqq.

ad movendos animos versibus grandinem depinxerit, quasque per arva pestis illa accumulare solet ruinas flebilius dixerit. Liceat tamen priorem audire Severum, ut rursus plane intelligatur quid de suo nonnunquam addiderit Paulinus.

Pagum quemdam in Senonico annis singulis grando vastabat. Compulsi extremis malis incolae a Martino poposcerunt auxilium, missa per Auspicium, praefectorum virum, satis fida legatione, cuius agros gravior quam ceterorum assueverat procella populari. Sed facta ibi oratione Martinus, ita universam penitus liberavit ab ingruente pesti regionem, ut per viginti annos, quibus posteat vixit, grandinem in illis locis nemo pertulerit¹.

Nunc vero Paulinum audias velim. Non omnia quidem, quamvis omnia haud indigna laude sint, sed ultima tantum ejus picturae lineamenta profereimus, in quibus inest nescio quid humani, et propria benignae mentis misericordia.

Amissam segetem pallens referebat arator,
Perfracti penitus plangens vestigia culmi;
Et fossor vacuam sine fructu et palmite vitem
Saepe gemens, jugis post annua vota laboris,
De jam turgidulis numerabat damna racemis.
Monstrabat fractos mater maestissima ramos
Repere consuetis per mitia pomula natis.
Propter et arentis pallentia gramina campi
Mugitu pecudum reboantia saxa sonabant.

* Dial. III. Cap. II.

Tabida lustrabant vacuos armenta recessus,
Quo poterant gemitu querulam testantia causam¹.

Nonne istis in versibus teneram Maronis mentem
quasi spirantem credas? Nonne haec naturae ac paren-
tum moribus plane consentanea?

Non is est Paulinus, ut vides, qui non proprio,
rupto in quo videbatur occlusus materiae carcere, in-
terdum se sublevet impetu.

Plerumque autem contingit ut dum vitium alterum,
hoc est, siccitatem, vitare conatur, extremum alterum
carpat, fiatque verbosior. Quoties enim laetiorum locum
attentat et versibus excudendis idoneum, illum non
jam deserit quin omnem materiem dicendo penitus
exhauserit. Tum vero otiosus et superfluens nec satis
pressus narrationis lentitudine nos in languorem vertit.
Verba quidem non sententias ingeminans, vanae fa-
cundiae nimis indulget, ut eum lusisse potius quam
pinxisse credas. Quo fit ut quae primum fortiter
dixerat, eadem haec iterando debilitet, aut exagge-
rando paululum ridicula faciat. Cujus vitii multa pro-
ferre exempla inutile prorsus visum est, quum cuiquam
legenti facilime praesto sint. Unum hoc modo eruam,
quod lib iv, (V. P. 150-245), si libet, invenias. Quum
scilicet quadam die dioecesim suam visitaret Martinus,
atque ceteris remorantibus, paululum processisset,
occurrit fiscali rhedae, militibus plenae, cujus jumenta
beati viri hispida veste, nigroque et pendulo pallio
pavefactae, in alteram aggeris partem cesserunt, funi-

¹ Lib. v. V. P. 448.

busque implicatis, moram fecere properantibus. Irati vero milites flagris ac fustibus Martinum agere coepe- runt, eumque exanimem atque humi procumbentem liquerunt. Tum, satiato furore, ad rhedam redeunt. At jumenta, quasi solo defixa, resonantibus quanquam hinc inde flagris, nil movebantur. Attoniti quaerere milites quis ille esset quem paulo ante cecidissent, atque ex viantibus cognoscere Martinum a se tam crudeliter verberatum. Tum ad beati viri pedes provolvunt, veniam precantes, et ut abire sineret, postulan tes. Veniam clementer indulxit Martinus atque eos abire sivit.

Eam narrationem, quam ex Sulpitio breviter con traxi, centum fere versibus explicuit Paulinus.

Ac primum aggerem publicum depingit, eumque in media parte rotundum esse indicat et saxis const ratis edidum, ut

Vergeret effusos in concava subdita nimbos,
Et gravis in duro non sideret orbita calle,
Mersaque ne luteum sorberent plastra profundum;
Sed summae vix dorsa viae vertigo rotarum
Raderet, haud ullo signans vestigia sulco,
Sed procul impacti tinnitu prodere ferri, etc.

Tum rhedam exibet

tumidos quae forte vehebat
Militiae terrore viros : non ordo furorem,
Non ratio insanam poterat componere mentem.
Ambitio, ebrietas, clamor, furor, ira, tumultus,
Miscebant variis incondita pectora monstris,
Exanimesque inter mulas trepidosque magistros,

Verbera caudentum resonabant, verba clamantum.
Nec standi lex ulla aderat, nec cura pericli
Tardabat celerem per plana, per ardua, cursum, etc.

Non horrido, ut apud Sulpitium, Martini adspectu conterritae mulae ab aggere deflexere, sed verendam beati viri faciem timentes, quasi prae pudore, a media discessere via. Eas vero (quis hanc comparationem praevidisset?) Balaami asinae confert Paulinus, quae, quum populo Dei dominus maledicere vellet, ei pedem, ne id ageret, obtrivit. Tum iram militum et Martini patientiam multis enarrat versibus quos referre prorsus longius esset. Ad rhedam redeunt milites et flagris et fustibus mulas nequidquam urgent. Hoc in loco praecipue eminet Paulini nostri garrulitas, ut eum, jumentorum instar, quasi solo defixum putet. Hos enim lege versus :

Ad rhedam rediere viri ; pernicius inde
Praecipi cogunt jumenta erumpere saltu ;
Ut quidquid fuerat funesta in caede morarum
Confestim celeres pensarent turbine cursus.
Verum haec frustra adhibent molimina, fixa rebellant
Imperio jumenta truci : riguere ligatae
Arbitrio Domini, statuarum in imagine, mulae.
Tum vero insano pejus calet ira tumultu.
Nil voces, nil flagra valent ; contusa resultant
Ilia, vicinas rapiunt ad verbera silvas.
Saxa, sudes, fustes, stimulus, quod cuique repertum
Rimanti telum ira facit, consumit in ictus.
Nec tamen haec possunt nervos laxare rigentes

Aut fixos mutare artus ; frigentia credas
Æra, vel expressas saxis riguisse figuras.

Sed haec satis, ne poetam nostrum plus aequo deprimente videar, quippe qui nec pejor nec melior fuerit ceteris ejusdem aetatis vatibus. Omnes enim, si Paulinum Pellaeum unum excipias, versificatores plus minusve periti, non veri poetae fuere, neque aliud quidquam nisi materiem alienam, quoquomodo potuerunt, transcripserunt. Quid enim ? Nonne Sedulius atque Orientius historias evangelicas, jam a Juvenco et multis aliis saepissime decantatas, iterum refricarunt ? Nonne Prosper Aquitanus fluxis obscurisque versibus diluit quod jam fortiter ac dilucide de Gratia dixerat Augustinus ? Ipse autem Paulinus noster nonne quasi « metro mollivit », ut ipse confessus est, quae bene prosa descripserat Severus ?

Non deerant eo tempore qui putarent res sacras commentationibus poeticis minus aptas esse, nec decere quemquam Evangelia aut sanctorum vitas virorum propria nugarum lingua pandere. Quam ob causam Sedulum orahat Macedonius abbas¹, ut, quod prius versibus descripserat Carmen paschale, idem prosa melius explicaret. Aiebant enim alii² multas magni momenti res « pro metricae necessitatis angustiis » in poemate nequaquam insertas videri ;

¹ Vid. Bibl. Patr. an. 1589, p. 911. *Caelii Sedulii Presbyteri Paschalis operis*, lib. v.

² Vid. epist. Sed. ad Maced.

dolebant alii quod Scripturarum sensum corrumpere et verborum caligine quadam involvere poetae solebant, ut, quae in soluta oratione certa, eadem in carmine incerta et dubia essent. Frustra ad haec respondit Sedulius se veterum christianorum poetarum vestigia secutum esse, neque aequum facere qui in suis operibus vituperarent quod in ceterorum carminibus tantopere olim laudatum fuerat. At, desinente quinto saeculo, longe alia erat atque fuerat ineunte quarto saeculo christianae religionis conditio. Quae enim carmina quarto saeculo propter temporum necessitatem Juvencus et ceteri cum laude scripserant, eadem quinto saeculo nonnisi propter ostentationem et poetum lusum suscepere Sedulius, Orientius et Paulinus Petrocorius. Quid enim novi, quid utilitatis ex eorum carminibus suscepissent christiani qui jam a teneris annis et Evangeliorum praecepta et Sulpitii de Martino libellos memoria tenerent? Quis non Johannis aut Marci sociorumque ingenuum et nudum, sed elatum dicendi genus poeticis Sedulii et Orientii lucubrationibus antehabuisset? Quis non Severi simplicem quidem, sed uberam narrationem, vanae Paulini facundiae praetulisset?

At, reipsa, si veram Martini effigiem habere volueris, non Paulini, sed Sulpitii codices legendi sunt. Si vero callidum versificatorem quaeras, me sequere, nec aliud nisi Paulinum Petrocorium accipe.

Non autem celandum est me nonnihil auxietatis diu expertum esse quum hunc poetam, cuius vel nomen plerisque incognitum esset, ex oblivione et tenebris de promendum suscepi. Interim me non fugiebat vete-

res christianaे religionis poetas magno semper despiciui fuisse, ut decimo et quinto saeculo jam doleret Aldus Manucius quod per totam Italiam neminem inter doctos ejus temporis viros invenisset, qui vel unum ex eorum carminibus memoria teneret, in quo etiam nostrates, si viveret, culpare prorsus posset. Quod quidem fastidium, aut, si mavis, negligentia illa, ex praesumptione quadam oritur qua plerique persuasum habent, sublatis Augustei saeculi poetis, nil postea Musis dignum editum fuisse. Nec curant ut eorum opera legant, sed ceterorum opinionem bona fide sequuntur. Sic Ludovicus Vives¹ « lutulentis ac perturbatis aquis » christianos poetas primum conferebat², qui tamen, postquam eorum opera diligentius legerat, duriora haec verba redarguit, atque confessus est eos non omnino esse in verbis rudes et contemnendos, ut antea crediderat, multaque habere quibus elegantia et venustate carminis certent cum antiquis, nonnulla quibus etiam eos vincant.

Non ea quidem fuit ambitio mea ut Paulinum veteres poetas viciisse demonstrarem, sed ut illum in

¹ Quorum poetarum studio quo facilius incumberent eruditii, exarandum volumen curavit, in quo omnia collegit eorum opera quae usque ad id temporis hinc inde in variis libris edita fuerant; cui quidem volumini hunc titulum praeposuit: *Poetae Christiani veteres*.

² In opere « *de tradendis disciplinis* ». — Juvencus, ait, Sedulius, Prosper, Paulinus lutulentae et perturbatae sunt aquae...

nonnullis locis et « carminis venustate » et verborum lenocinio et poeticis in laboribus industria eis haud nimis multo imparem fuisse ostenderem.


Ex ipsa autem materia, quam transcribendam susceperebat, exoritur nescio quid sublime, quod apud paganos poetas frustra quaeras. Scilicet, si vitam Martini vel apud Paulinum nostrum legeris, disces prorsus quanta sit homo dignitate, quo diligendi pauperes amore, quo respectu habenda sint quae terrena sunt, quibus denique castis et honestis moribus vivendum. At, ut ait idem Fabricius, non is studiorum et doctrinae unicus finis est, ut linguam perpolitam et volubilem habeas, sed ut colatur et abundet rerum magnarum et utilium scientia animus. Iis igitur qui penetrare atque intelligere conantur quid lateat sub illo interdum eleganti, interdum aspero Paulini nostri cortice, haud dubium est quin plurimum capiant ad instruendos mores et erigendos sensus. Apud eum enim, si non semper exquisitae latinitatis saporem redoleant, nunquam non elatas sententias et maximarum virtutum exempla deprehendent, quibus probi et honesti fiunt cives. Quid vero utilius, quid praecellarius Musarum munus esse potest, quam illud, quod olim vir egregius, vates ipse, vatibus suae aetatis praecipiebat :

Lectorem delectando pariterque monendo ?

Vidi ac perlegi :
Facultatis litterarum in Acad. Tolos. decanus,

A. DUMÉRIL.

Typis mandetur :
Academiae Tolosanae rector,
CL. PERROUD.





APPENDIX





APPENDIX

A. De laudibus Beati Martini Turonensis

Christi miles magnanimus,
Martinus, actu splendibus
Qua fulserit militia
Quae tulerit et praemia,
Ad regis ejus titulum
Et posteris ad exemplum,
Laudum herois avidus,
Referre gestit animus.
Qui certantem roboravit,
Et victorem coronavit,
Praestet et mihi congruam

Sermonis elegantiam,
Ne gesta viri fortia,
Deauratu dignissima.
Pro sensus hebetudine¹
Vili circumdem schemate;
Sed et mater Ecclesia
Ejus attollat merita.
Cujuis in suis praeliis
Semper defensatur armis.
Hic nobili prosapia
Exortus in Pannonia, etc.

Pastoralis virgae significato.²


Non ignorat quo mysticus,
Quem gestat, spectet baculus,
Summo recurvus, medio
Rectus, acutus infimo:
Quibus signis revocandi
Sustentandi, stimulandi
Quique docentur subditi
Pro causa sui meriti.
Quin etiam ferri clavo
Quo armatur in extremo,
Infestantes gregem ferae
Innuuntur configendae.
Haec Martinus virgae suac
Monimenta cautissime
Considerans, ferre suum
Se computat judicium,
Si non impendat operi
Officium pastorali,
Et exemplis rei confirmet
Quae subjectos verbis docet.

Pastoralem quoque virgam
Dicit fungi lingua quadam.
Quam gestante se, monitis
Conveniat assiduis
Lingua ejus, ejus forma,
Quae diversis composita
Sed non abs re materiis:
Insignitur mysteriis,
Ejus enim curvatura
In pluribus metallina,
Hoc est auro vel argento
Fulgens, sive aurichalco,
In quibusdam est cornea.
In nonnullis eburnea,
Vel generis alterius
Quae sculpi possunt ossibus.
Ipsius porro medium
In cunctis fere ligneum,
Et merito; at extimum
Nil justius quam ferreum.

¹ Hebetitudine cod. ut alibi pluries, sed contra rythmum.

² Vix dubium quin ideo Guibertus ita baculum et annulum episcopi in hoc elogio

prolixo cecinerit, quod alicubi in S. Martini annulum et baculum venerabundus inciderit



Aurichalcus signat boni .
Constantiam propositi ;
Argentum eloquentiam,
Aurumque sapientiam,
Cornu quod excedit carnem,
Mentem summa appetentem,
Quae veluti reflectitur,
Dum proximis compatitur ;
Os quodvis fortitudinem,
Sed ebur castitudinem,
Candorem pudicitiae,
Frigenti juvans specie.
Ligno fructus medicinae
Et effusus disciplina
Figuratur, et maxime
Sceptrum regalis gloriae,
Quae omnia nobis unum
Crucis Christi confert signum ;
Cujus virtus vivifica
Sanat, docet, regit cuncta.

Eiusdem ferro baculi
Competenter designari
Potest seu sapientia,
Sive perseverantia :
Praeclarus quas omnes aliae
Virtutes prorsus vacuae,
Nec fecundantur meritis.
Nec munerantur praemiis.
Qui baculus si ex sola
Fabricetur materia,
Ejus nimirum plurima
Cassabuntur mysteria.
Quo circa curiositas
In hoc non est diversitas
Rerum quibus conformatur ;
Sed figuris decoratur,
Quas Martinus et in suo
Saepe retractans baculo.
His congruum cautissima
Se reddit vigilantia.

Significatio Annuli.

Et inter haec dum ad suum,
Quem digito fert annulum,
Auro gemmaque conditum,
Crebro flectit intuitum,
Altioris mysterii
Ex annulo discit suos
Quid doceat discipulos.
Nam spectanti quiddam unum
Ex duobus compositum
Neutrius substantia
Alterutro depravata,
Nil occurrit conformius
Quam Redemptor noster Christus,
In Deo sumens hominem,
Nec omittens Deitatem,
Ut sic auro majestatis
Gemmam claudens nostrae carnis
Ut clariorem redderet.
Non absumptam destrueret.
Ex quo unus in persona,
Sed non unum in natura.
Deo sua exente,
Carne sua sufferente,
Et claruit miraculis,
Et patuit suppliciis,
In diversis effectibus
Nec permixtus, nec divisus.
Hoc igitur mysterium
Tam salubre, tam jocundum,
Martinus semper in sui
Junctura spectans annuli,
Sponsam Christi Ecclesiam
Fidem castitatis puram

Sponso servare, monitis
Exhortatur creberrimis.
Nam et ob hoc episcopum
Gestare dicit annulum,
Ut in paronympho ipsa
Suo discat Ecclesia.
Quid sponso suo debeat,
Idque illi custodiat :
Videlicet quod annulus
Digito monstrat indutus.
Nam et propter hoc digito
Inducitur illi, a quo,
Ut traditur a physicis,
Semper salit vena cordis;
Ut quum refertur oculis,
Sensum quoque tangat cordis;
Ammonetur reminisci
Videlicet incarnati
Ex Virgine Verbi Dei.
Cujus quivis episcopus
Annunciator positus,
Et illius semper pia
Habeatur memoria,
Qui Virginis ex utero,
Tamquam sponsus e thalamo,
Procedens, tam mirificum
Inde produxit annulum.
Causa sibi subharranda
Praelectae dudum sponsae,
Ne amatorem alium
Susciperet praeter eum.
Sed et frequenter annulo
Dum utimur pro sigillo,

Quidni figuret etiam
Arcanorum custodiam ?
Glorietur ergo sponsa,
Tali signo communita,
Fidem sponso servans, tanto
Roboratam sacramento :
Quo scilicet humanati
Æterni Regis Filii,
Qui celebrans magnificas
Nulu paterno nuptias,
Et cunctis mundi partibus,
Et ex diversis gentibus
Aggregavit sibi sponsam,
Ab aeterno dispositam
Quam venditam sub peccato,
Et omni foedam vitio,
Mancipatam daemonibus,
Sub idolorum cultibus,
Ille pulcher et decorus,
Rubicundus et candidus,
Et electus ex millibus,
Dulcissimus sponsus ejus.
In ipsis suis nuptiis
Intereumptus ab impiis,
Pii crux roseo
Redemptam lavit fluvio.
Ut etenim ostenderet
Quantum eam diligeret,
Et ut victoriosius
Triumpharet de hostibus,
Non ipsorum potestate,
Sed benigna charitate,
Ab illis sibi, qui suis
Adversabantur nuptiis,
Inferri mortem pertulit ;
Et moriens eos stravit,
Instar Samson qui oppetens
Plures occidit quam vivens.
Tum exultet de caetero
Super sponsa perpetuo,
Levatus super omnia,
Et coronatus gloria.
Sponsa quoque in aliqua
Sui parte ut regina,
Sponsi stans in dextris aequa,
Sponsi gaudet visione.
Pars aliqua quae in via

Pro sponsi sudat gratia,
Dum sterilis evadere
Maledictum, et parere
Spoaso suo spiritalem
Enitur progeniem,
Ab illo sibi praemia
Praestolatur reposita.
Nec deficit in labore,
Ut gaudeat ex mercede,
Quum omnia in omnibus
Erit sine fine Deus.
O nuptiae mirabiles,
Et in aeternum stabiles,
Quarum dotales tabulae
Sponsi scribuntur sanguine !
Quo etiam pacta novi
Annotata Testamenti,
Coelestis regni solidos
Haeredes confirmat illos,
Qui nec maris, nec feminæ
Procreantur voluptate,
Sed baptismo renovati,
Dei fiunt adoptivi.
Sciens Martinus maxima
In his stare sacramenta
Sponso, sponsae et filiis
Qui propagantur ex eis,
Omni cum diligentia,
Omni reverentia
Quibusque competentia
Libens reddit officia.
Sponso astat ut amicus,
Et ad vocem gaudet ejus ;
Sponsae servit ut dominae,
Et ut matri quoque suae ;
Quorum quae servat munera
Non usurpat ut propria.
Nec in illis umquam suum,
Sed ipsorum quaerit lucrum.
Nam a sponso sponsae missum
Saepe remonstrans annulum,
Hanc ad amorem incitat,
Et in fide corroborat :
Horum quoque pro filiis
Ad salutem dirigendis,
Omnis pastoralis virgæ
Typos exercet opere.

Praeminentia in operatione signorum exteriorum.

Jam ipsius extrinseca
Proponantur miracula,
Quibus fulsit præ omnibus
Quorum gesta comperimus....¹

Et o mirum replicatu !
Ejus quoque supplicatu,
Terra reddit ac si novum
Cruorem olim bibitum.

¹ Hic plura in cod. obcissa sunt.

Nam a Roma regrediens,
Et Agaunum perveniens,
Dum vult secum certissima
Sanctorum ferre pignora,
Juxta locum passionis
Thebaidae legionis,
Solo defixis genibus,
Polo porrectis manibus,

Ante tot annos martyrum
Absorptum terra sanguinem
Refundere gramineum
Cogit ab imis cespitem :
De quo post ipse plurimas
Consecravit ecclesias,
Eorum claras nomine
Quorum micarent sanguine....

Splendor et soliditas religionis Majoris Monasterii quod fundavit.

Quae civitas tam ditia
Duo simul palatia
Titulavit uni sancto,
Urbs Turonis ut Martino ?
Hinc Majus Monasterium
Ad Orientem positum,
Fovens in se florigera
Monachorum examina,
Longe, lateque cognitum,
Caput attollit splendidum,
Tam majus cuncto ordine
Quam sic dictum et nomine.
Hoc fundavit vir beatus,
Jam pontifex insulatus,
A tumultu populari
Optans illic feriari,
Nam secretus erat locus,
Heremitis tantum aptus,
Hinc sinu cinctus Ligeris,
Hinc objectu clausus montis
Una tantum et hac arcta
Adiri poterat via,
Spiritualis otii
Amicus et silentii.
De quo videlicet loco
Dum comprobat in his cunctis
Viros esse se virtutis,
Si qui transcendunt opibus,
Sed cedunt idem moribus :
Set aut his, aut his omnibus

Quid sudarem in dicendo,
Quum quidquid scriberem, minus
Appareret ipsis rebus ?
Nam et Dei donariis
Atque potentum xenii
Quantum spiritualibus
Bonis et temporalibus
Intus et foris creverit,
Incompertum non habebit,
Quisquis ejus melliflua
Frequentat alvearia.
Hic solida religio
Nullo vacillat lubrio ;
Hic hospitum susceptio
Jucundo fervet studio ;
Aegrotantes hic benignis
Refoventur obsequiis ;
Hic pauperes largissimis
Pinguescant eleemosynis.
Capituli districtio,
Et orandi devotio,
Altaris diligentia,
Chorique reverentia
Tanti constat apud eos
Quantum decet Dei servos,
Fratrum praestant conventibus.
Ita pauci facultate,
Nulli vincunt honestate,
Quam et tenent inconvulse
In omni rerum serie.

Nobilitas et divitiae ecclesiae Castri Novi in qua requiescit.

Ast aliud latus urbis,
Quod occasum spectat solis,
Castrum quod vocatur *Novum*
Decenter est communictum.
Cujus castri magnificam
Quis admirari gloriam
Cogitando sufficiat,
Nendum verbis comprehendat ?

Quod sicut Novum nomine
Sic est novum et stupore,
Dum quilibet adveniens,
Et ejus opus intuens,
Inter tam multifarias
Divitarum copias,
In promptu semper habeat
Super quibus obstupescat.

Liger haud secus fluvius,
Ab ejus labens moenibus,
Castrum munit, et optatis
Refertum ditat commodis ;
Cum commeatu navium,
Quaestus multarum mercium
Quotidie de diversis
Illuc vehit provinciis.
Nec parvum inter alia
Commodatum genera,
Quod dapes largas piscium
Mensis ministrat civium.
Vallatum Christi numine,
Et Martini munimine,
Assultus quosvis hostium
Ridet, quamvis ferocium.
Intus vero pulcherrimis
Domorum aedificiis
Ut quibusdam magnificis
Decoratur palatiis.
Vici diversi generis
Hinc inde vernant palliis,
Quae venatu vel gloriae
Panduntur vel pecuniae.
Illi et quidquid acquoris
Inficitur conchyliis ;
Illi et quicquid tingitur.
Quovis succo, reperitur.
Tam radices quam unguenta
Fragrant illi pretiosa ;
Nil illi cari pulveris,
Ant rari deest corticis.

Varietate pellum
Peregrinorum murium
Illuc convectas de longe
Jucundum est inspicere,
Metallorum quorumlibet....¹
Illi tanta congeries,
Ul solos nummos vincere
Putes acervos paleae.
Si me non verum dicere
Fors autumas, locum pete :
Et videbis hic confertas
Trapezitarum exedras.
Constanter enim omnium
Illuc genus monetarum
Asseritur et afferri
A confluis et referri,
Quae nullius sunt nominis.
Quis vasa vel argentea
Dinumeret, vel aurea ?
Hinc cyathi, paropsides ;
Hinc caphi, cruces, calices ;
Illi jacent altaria,
Gemmis et auro fulgida.
Omnis chorus insignium
Illi coruscat lapidum,
Illi rubet in floribus
Vetus eburi speciebus.
In thesauris reposita
Quis jam eredat computanda,
Quum tanta sint quae omnibus
Patent castrum intrantibus ?

Virtus et celeritas sepulchri illius.

Verumtamen multimodam
Ipsius Castri gloriam
Longe vincit mirifica
Aedis sacratae fabrica,
In qua pauper et exilis,
Ille quondam, sed excelsus
Jam Martinus, et celebris
Tam nomine quam opibus,
Pausans diem generalis
Praestolatur anastasis,
Resumturus illi situm,
Pignus carum, corpus suum.
Qui paupertatis propriae
Custos vigil, et in morte
Cum egenis in publico
Sese jussit polyandro
Sepeliri, non ignarus
In futuro divinitus

Eumdem locum ob sua
Glorificandum pignora.
Super quem cellam primitus
Sacer exstruxit Briccius,
Venusto quidem opere,
Sed quantitatis modicae.
Et pontifex Perpetuus,
Sancti cultor praecipuus,
Qui a primo Turonicam
Sextus rexit ecclesiam,
Signorum frequentissima
Considerans magnalia,
Quae manabant divinitus
A mortuo viventibus,
Nec posse ferre modicum
Confluentes sacrarium,
In hoc ipsum, ut credimus,
A Domino destinatus.

¹ Versus unus vel in cod. vel in apographo excidisse videtur, nec tamen suspensa sententia.


A transitu ejus anno
Quarto et sexagesimo,
Super eum egregia
Templi struxit fastigia.
Quod quantae magnitudinis
Extiterit et decoris.
Ex relatu historiae
Francorum promptum noscere.
Praesul Dei, angelico
Juvante ministerio,
Artus sacros, ex pristinae
Loco levans sepulturae,
Gemmis et auro vestiit;
Et celsius collocavit,
Eo die qui annuus
Ordinationis ejus
Fluxerat, et festivus
Agebatur ab omnibus,
Hoc se velle Deo signis
Approbante manifestis.
Nam quum per tres jejunando
Dies totos et orando,
Conarentur instantius
Ab imis terrae sinibus
Eruere thecam, sacras
Continentem reliquias,
Id non nisi quarto die
Potuerunt efficere:
Sic voluit duplia
Solemnitatum gaudia,
Uno die dator largus,
Suis conferre civibus.
Auxit quoque sancti pia
Perpetui solertia,
Hanc quam praedixi geminam
Ex tertia laetitiam:
Eo die post dedicans
Quam struxerat basilicam,
In Christi Jesu nomine,
Et Martini sub honore.

Quo factum est ut fidelis
Summae cultor Trinitas
Uno die festo trino
Excolatur a populo.
Cujus basilicae clarum
Opus stetit inconcussum,
Usque ad sancti tempora
Hervei felissima:
Qui ex Francorum stemmate
Clara satus origine,
Tam meritis quam opibus
Dives, sublimis, inclytus,
Ut, favente Christo, factus
Est ejusdem archiclavus
Basilicae, jactans suum
In Domino cogitatum,
Finitimis principibus
Se certatim juvantibus,
Semotis quoque plurima
Mittentibus impendia,
Incarnati ex Virgine
Pro redimendo homine
Anno Verbi millesimo
Plus sive minus tertio,
A fundamentis erutum
Opus idem et restructum,
Eo quo nitet hodie,
Fastu provexit gloriae:
Licet ibi sint plurima
Modernius innovata,
Studiose sublimata,
Totius templi machina.
Hic erutis, hic stantibus
Fundamentis prioribus,
Semper augere civibus
Decus loci ferventibus.
Et templi quidem fabrica,
Immensis structa sumtibus,
Ut dictum est, mirifica
Apparet contuentibus.

CONCLUSIO

Quid plura tamdem? Optimum
Reconditur margaritum,
Quum fuerit opportum,
Creditori reposendum.
Sed quod dico reconditum?
Quum per orbem universum
Tanta luce resplendeat,
Et nullum prorsus lateat!
Nam cujus natalitus
Sancti Dei solemnius
Celebratur ab omnibus
Redemptoris fidelibus.

Exceptis paucis, alii
Sanctorum patrocinii
Certos fines habent sui,
Non usquequaque cogniti.
Hic patronus generalis
Et totius praesul orbis,
Jam a cunctis excolitur
Nullaque meta stringitur.
Exeundum orbe erit,
Qui Martini noluerit
Vel supplices non videre,
Vel glorias non audire.



Quis hominis nomen ejus
Non audit, nisi surdus?
Quis hunc tacet, nisi mutus?
Et quis nescit, nisi nullus?
Quoquo Christus nominatur
Rex omnium et Dominus,
Jam Martinus honoratur
Ipsius miles inclytus.
Nec spargitur diffusius
Sancto nomen alicujus,
Nec quisquam locis pluribus
Coli scitur celebrius.
Nam quis praeter matrem Dei,
Sive beatorum coeli,
Tot dives est ecclesiis,
Tot locuples coenobiis?
Quae civitas vel oppidum
Non habet oratorium
Martini, si non pignore,
Saltem dicatum nomine?
Quocumque vadas, venias,
Si roges, semper audias:
Haec vel illa basilica
Martini est ecclesia.
Nempe in tali munere,
Largiente suo rege,
In regno princeps tertius
Est iste miles maximus.
Ob hoc ineffabilibus
Purae mentis concentibus,
Semper exaltantem eum
Laudemus regem omnium.
Martine, par apostolis,
Vita, fide, miraculis,
Laudum tibi solemnia
Concelebramus munia.
Ave, miles egregie,
Triumphator gloriose,
Jam conregnas regi tuo
In coelesti palatio.
Salve, sacerdotum gemma,
Chori tui diadema,
Jam micans inter limpidos
Coronae Christi sapphiros.
Ave, decus confessorum,
Salve, specular virginum,

Cum quibus tibi praemia
Vitae pararunt merita.
Ave, lampas clericorum,
Salve, norma monachorum,
Quos ut consortes babeas
Et virtutum efficias,
Ave, morum disciplina,
Et virtutum officina,
Pro quarum exercitio
Festorum vacas sabbato.
Ingressus regnum gloriae,
Agis dies laetitiae,
Claro qui functus transitu,
Gaudes in Abrahæ sinu.
Intendas inde supplices,
Et protegas te laudentes,
In pignus nobis veniae
Dona reportans gratiae.
In conspectu Deilatis
Epulando jocundatis,
Nunc vox, exultationis,
Juxta psalmum, et salutis
Semper inest splendifluis
Justorum tabernaculis,
Ubi sonus epulantium
In voce confessionum.
Sed non ita debriaris
De torrente voluptatis,
Quam jam pleno hauris ore,
Nostri recordare.
Nec, pontifex, sancte, velis
Consummari sine nobis:
Sed cum resurges, optime,
Fac nos tecum resurgere.
Ut ante thronum judicis
Aggregati cum dexteris,
Cum sinistris nil commune
Deprehendamur habere.
Quo ab illis sequestrati
Evadamus suppicia
Atque istis adunati
Conregnemus in gloria.
Jam, praesulum praesul, vale,
Et valere nos effice,
Ut cum Christo tua prece
Gaudeamus sine fine.

B

Hymnus S^{to} Ambrosio adscriptus.¹

In natali S. Martini episcopi.

Bellator armis inclytus
Martinus actu nobilis

Quae gesserit miraculis
Hymnis canamus debitis

¹ Migne — *Patrol.* t. xvii p. 1218.
Cod. Paris. N. 5583.

**Qui frigoris sub tempore
Dum chlamyde¹ nudum legit
Mox Christus ipsa², quam scidit,
Se veste tectum prodidit.**

**Tres arte sancta pallidos
Resuscitavit mortuos,
De febre catechumenum³,
Et alterum suspendio.**

**Orationis⁴ ambitu
Latro sepultus proditur;
Qua non cadebat impetu
Pinus reflexa ducitur.**

**Profana dum succenderet
In aera⁵ flammam repulit**

**Quo extincta sunt incendia
Imbris⁶ fuit praesentia.**

**Humore de paralysi
Curat puellam debilem,
Morbique rasit fomitem
Sancti liquoris unguine⁷.**

**Pacem leproso dans viro
Sordesque fugavit ulcerum,
Et quod lavaret morbidum
Jordanis est in osculo.**

**His et per orbem cognitis
Ingentibus miraculis,
Possessor alti spiritus
Nunc regnat in coelestibus.**

C. De S. Martino Turonum episcopo.⁸

**Rex Christe Martine⁹ decus,
Hic laus tua, tu illius;
Tu nos in hunc te colere,
Quin ipsum in te, tribue.**

**Qui das per orbis cardines
Quod gemma fulget praesulum :
Da quo¹⁰, premunt culpae graves
Solvat peringens meritum.**

**En pauper hic et modicus.
Coelum dives¹¹ ingreditur;
Coeli cohortes obviant,
Linguae, tribus, gentes, orant**

**Ut vita¹² fulget transitus,
Coelis et arvo splendidus :
Gaudere cunctis pium est,
Cunctis salus sit haec dies.**

**Martine, par Apostolis,
Festum colentes tu fove,
Qui vivere discipulis
Vis, aut mori, nos respice,**

**Fac nunc quod olim gesseras ;
Nunc praesules clarifica :
Auge decus Ecclesiae
Fraudes relide¹³ (relega ?) satanae.**

**Qui ter chaos eviceras¹⁴,
Mersos reatu suscita :
Diviseras ut¹⁵ chlamydem.
Nos indue justitiam.**

**Et specialis gloriae
Quondam recordaris¹⁶ tuae
Monastico¹⁷ nunc ordini
Jam paene lapso subveni.**

¹ Cod. Par. *clamide*.

⁸ Apud Marrier, *Bibl. Cluniac.*
Migne : *Patrologie* t. 133. p. 504.
Cod. Paris 5583.

² Male cod. Par : *Mox Christo ipsam
conscidit*.

⁹ *Martini*, sic melius cod. Paris.

³ Cod. Par : *catechuminum*.

¹⁰ *Quos*, sic melius cod. Paris.

⁴ Male cod. Par : *O rationis...*

¹¹ *Bolum dives*, sic cod. Paris.

⁵ Cod. Par : *in aere*.

¹² *Vita*, sic corrupte ap. Migne, pro *vita*
quod legitur in cod. Paris.

⁶ Cod. Par : *Hymber*.

¹³ *Legitur relide*, in cod. Paris.

⁷ Hic explicit cod. Paris. adjecta sequenti
stropha :

¹⁴ *Evisceras*, sic male in cod. Paris.

Herili (?) nocte media
Migravit pace redditia,
Quam nunc refundat omnibus
Festum sui colentibus...

¹⁵ *Hunc*, sic prave in cod. Paris.

¹⁶ *Recorderis*, sic melius in cod. Paris.

¹⁷ *Clericorum*, sic pro *monastico*, in cod.
Paris.

ERRATA

Pag.	4,	not.	3;	pro	<i>epistola</i>	lege	<i>epistolam</i>
—	15,	lin.	6,	—	<i>1614</i>	—	<i>1624</i>
—	17,	not.	2,	—	<i>275</i>	—	<i>257</i>
—	26,	vers.	409,	—	<i>concilii</i>	—	<i>consilii</i>
—	51,	lin.	3,	—	<i>rependet</i>	—	<i>rependet</i>
—	55,	—	1,	—	<i>at, que</i>	—	<i>atque</i>
—	59,	—	9,	—	<i>lumina</i>	—	<i>lumine</i>
—	62,	—	1,	—	<i>scripsit</i>	—	<i>scripsit</i>
—	78,	—	1,	—	<i>tatem</i>	—	<i>tamen</i>
—	79,	not.	1,	—	<i>Qothast</i>	—	<i>Pothast</i>
—	80,	lin.	12,	—	<i>verterno</i>	—	<i>vaterno</i>
—	89,	—	3,	—	<i>307</i>	—	<i>397</i>
—	“	—	7,	—	<i>septuagenta</i>	—	<i>septuaginta</i>
—	98,	—	13,	—	<i>absoletam</i>	—	<i>obsoletam</i>
—	102,	—	24,	—	<i>monarchis</i>	—	<i>monachis</i>
—	103,	—	9,	—	<i>convueverant</i>	—	<i>consueverant</i>
—	134,	—	20,	—	<i>crat</i>	—	<i>erat</i>
—	151,	ultimus	priniae strophiae deest	versus qui se-			
				quiritur: <i>Pro nobis ora Dominum.</i>			
—	181,	lin.	13,	pro	<i>qui sequitur.</i>	lege	<i>qui sequitur:</i>
—	183,	—	24,	—	<i>qua regione</i>	—	<i>in qua regione.</i>

